




12, - 6

vgl. JLG 954^e

diese Trng. = 00 9e





27
JO. SCHILTERI

Commentatio

ad

LIBRI SECUNDI

CONSUETUDINUM

FEUDORUM

TITULUM QUINQUAGESIMUM

DE

NATURA
SUCCESSIONIS
FEUDALIS.

in qua

LINEALIS quoque SUCCESSIONIS origo,

atque usus in foro Germanico succinctè

exponitur.



ARGENTORATI, 1728

Excudebat JOH. FRIDERICUS SPOOR.

An. Kg. 955, 4.


SENECA de Vita Beata.

*Non tam benè cum rebus huma-
nis geritur, ut meliora pluribus
placeant.*

ARGENTORATI
Exeuditur Joh. FRIDERICUS SPOER



(I.)



B. C. D.

DE

NATURA SUCCESSIONIS
FEUDALIS

Commentatio

ad

LIBRI SECUNDI CONSUECUDINUM
FEUDORUM TITULUM QUIN-
QUAGESIMUM.

CAPUT I.

De Verborum rubricæ significatione, &
historia juris successorij in feudis.

§. I.



Aturam successionis feudalis exposi-
turi, necesse habemus, ut quid per vocabula
Natura & *Successio* hinc intelligatur doceamus.
Atque *Natura* vox primò & à Philosophis &
à JCrts de natura specifica, causa cujusque rei
interna ac formali accipitur, quo sensu ἡ φύσις,
essentia, substantia, natura, promiscuè usur-

pantur; itaque quod Ulpianus l.9. §.2. de contrah. emt. φύσιν
vocat, id naturam L.7. §.5. ad fin. de pact. h.e. substantiam, ut
interpretatur Accursius, qui deinde alteram significationem ad
l. pacta 72. pr. π. de contrah. emt. explicat, quâ denotantur qua-
litates accidentales quidem, sed quæ regulariter & per com-
munem naturæ cursum substantiæ rei accedunt, quæ Papinia-
nus *Adminicula* vocat d. l.72. Accursius *naturalia*, Zasius *Natu-*

Natura
quid?

1.

2.

A

ralia



l. 7. §. 5.
Pand. de
pact.

ralia externa & separata, Philosophi *αχώρα* appell-
lant. Quam significationem etsi rejiciant Cujacius ad *Rubr.*
lib. 1. Feud. in fi. & Duarenus ad *d. l. 7. de pact.* tamen & usu ea
recepta est, nec ratione, quam dixi, destituitur, & auctoritate
Ulpiani fulciri potest; præterquam enim quod *in d. l. 7. de pact.*
naturæ vox hanc ipsam significationem admittit, *Si post emtio-*
nem ex intervallo aliquid extra NATURAM contractus conveniat, ait,
& intelligit non præcisè essentiam contractus, quam si nego-
tium excedit, in aliam speciem cadit, sed imò naturam poste-
riori modo intellectam, h. e. ea, quæ naturaliter & regulariter
quidem insunt, sed per pacta conventa separari possunt, veluti
per pacta retrovenditionis, evictionis non præstandæ, &c. In-
super etiam *l. item. 20. §. 4. π. de H. P.* ad naturam actionis refer-
tur, quod quandoque inficiatione crescit, quod tamen ad es-
sentiam non pertinet. Itaque naturam feudi Baldus definiens,
ait esse qualitatem innatam à principio generationis, ex qua
virtus contractus proficiscitur, & semper inesse videtur, nisi
per pactum improprietur, *Præf. sup. Feud. n. 4. 6. conf. 2. F. 48.* ibi:
licet propriam feudi naturam non habeat, jure tamen feudi censebitur,
ut ex his causis ipsum amittat, sicut ex veris feudis. Igitur essentiam
tamen feudi retinet, naturam mutat, quam *communem feudi ra-*
tionem & consuetudinem Obertus vocat *2. F. 2. §. fi.* Atque in hac
posteriore significatione etiam hîc accipitur hoc vocabulum,
ubi de natura successionis feudalis docetur, quæ tamen vel per
leges speciales, vel per pacta conventa mutari potest, salvâ
feudi & in eo successionis *εστώ.*

§. II.

Successio
quid?

1.

2.

3.

4.

5.

Successionis vocabulum variè sumitur, partim de succe-
sione in jure circa personas, veluti de successore in matrimo-
nio, in dignitate & functionibus publicis, in tutelis, in Impe-
rio; partim de successione juris circa res, & vel juris ad rem, quâ
cessionarius succedit cedenti, vel juris in re, eâque vel singula-
ri per titulum ad transferendum dominium habilem, ut em-
tionis venditionis, permutationis, &c. vel in re universali, eâ-
que iterum vel indeterminata, qualis est hereditas, *l. 24. de V. S.*
& bonorum possessio, vel in re universali determinata aut per
legem vel etiam ultimam voluntatem, veluti successio in legi-
tima,

tima, *Novell. 115. c. 3. in portione statutaria, in Gerada de Jure Saxonum, Carpz. 2:14. def. 23. n. 8. aut per conventionem, ut successio in dote, l. 5. pr. π. de imp. in rem dot. & ibi Gl. & Br. aut in peculio, pr. F. quib. non est permiff. test. Quorsum itaque referenda sit successio feudalis, quâ in re feudali succeditur, videndū est.*

§. III.

Atque breviter hîc repetendum quid feudum denotet. *Feudum unde?*
 Porrò Veteres non feudum sed FEODUM scripserunt & pronunciarunt, quomodo hodieque nonnullis in locis: eique contradistinxerunt *Allodium*. Utraque vox est Teutonica, & composita ex *od*, quod rem, fundum, bona significat, pro quo hodie dicimus *gut*; quum verò res aut bona nostra sint duplicis generis, & vel plenè in nostro dominio, vel non plenè, ita ut dominium sit divisum inter dantem & accipientem, prius vocarunt *Allod*, *allodium*, posterius *Feod*, *feodum*, *feudum*, quod alludendo dici posset quasi *fagut*, cujus dominium utile accipitur ab retinente dominium directum, hodie dicimus *Lehn*, *Lehngut*, sunt enim correlata *leihen* concedere, investire, & *fahen*, *empfangen*, accipere, investiri: Sicut Franci vocem *Leode*, quasi diceret *Leibgut*, secundum aliquos hanc in rem etiam usurparunt, quae de re alibi latius. Sed magis est, ut natales hujus vocabuli à Saxonum Veterum vocabulo arcessamus *FEE*, quod stipendium militare, etiam rogatae militiae denotavit, reliquum adhuc in Scotia & Anglia, teste *Speelmanno in Glossario, & Skenæo annot. ad Leges Malcolmi II. Regis Scotia, anno MIV. Th. Cragio Feud. l. 1. p. 41.* Revera enim feudum nihil aliud erat, quàm res, fundus, aut certi redditus sive naturales sive civiles jure salarii sive stipendii militaris dati & concessi; itaque cessante servitio, cessabat & feudum, donec jure hereditario ad heredes feudales deferretur, de qua re mox. Antequam hoc vocabulum in usum Latinè scribentium, seculo fortè X. & XI. reciperetur, auctores & interpretes consuetudinum feudalium voce *Beneficij* usi *Beneficium* sunt, nam & Romani eam in simili significatione usurparunt. *S. Augustinus Serm. 1. in Vigilia Pentecostes ait: Notum est, quod milites seculi beneficia temporalia à temporalibus dominis accepturi, prius militibus sacramentis obligantur, & dominis suis fidem se servaturos profitentur.* Hygenus de limitibus: *Siqua beneficia concessa aut assignata*

gnata colonia fuerint, in libro Beneficiorum adscribemus. Inde Franci & Germani verbo Beneficiare pro investire usi: Carolus M. in Charta divisionis regni ann. 806. §. 2. ibi: Villis, quas nos quondam Tallioni beneficiavimus. Sed hæc hoc loco sufficiunt.

§. IV.

Feud. quid?

Etsi verò res tam singularis, quàm universalis in feudum dari potest, sicut & in dotem, aut in peculium, l. 65. §. 1. π. de R.V. tamen quemadmodum Dos aut Peculium suâ naturâ est universitas quædam, ita etiam feudum, quantumvis res singularis videatur, mutat tamen naturam, & habetur pro re universali determinata sive per contractum investituræ sive per legem, aut consuetudinem, sive etiam per ultimam voluntatem, contradistincta universitati & patrimonio allodiali, adeoque & successionem universalem recipit, contradistinctam allodiali: Quæcunque porrò successio est species ἀνδιονομήν & contradistincta successioni hereditariæ allodiali, illa est universalis non singularis successionis species: quippe quum utraque sub eodem communi successionis universalis & hereditariæ genere contineatur, & heredes aut successores in universitate partim in allodiales & feudales dispescuntur, atque nostro jure vasallus moriens talem relinquit hereditatem, quæ in universum duabus partibus separatur, quarum altera hereditatem feudalem, *das Lehn*, altera hereditatem allodiam, *das Erbe*, continet, utraque autem est universitas, & duplicis generis heredes ac successores constituit, feudales, *Lehns-Erben* & allodiales, *Land-Erben*, nam & illi sunt heredes, l. F. 1. §. 2. conf. Illustris Dn. de Eyben *Elect. J. Feud. c. VII. §. 7. seqq.*

§. V.

Successio in feudo an?

non l. Ver.

Enimvero primævo jure feudali nulla successio feudalis competebat, sed vel vivo vel saltem mortuo vasallo consolidatione utile dominium revertebatur ad dominum directum. Constat hoc ex Gerardo Nigro, l. F. 1. §. 1. ait: Antiquissimo tempore sic erat in dominorum potestate connexum, ut quando vellent, possent auferre rem in feudum à se datam: postea verò eò ventum est, ut per annum tantum firmitatem haberent: deinde statutum est, ut usq; ad vitam fidelis produceretur. ut ita hoc jure feuda per successionem ad filios nondum pertinerent. Quod jus hodiernum remansisse

fisse in feudis Guardiae, & Gastaldiae, & quod pro mercede alicui datur, observat Bald. in 1. F. 1. §. & quia vidimus. n. 2. Duaren. de Feud. c. 9, 13. conf. 1. F. 7. §. si. moderni. pro quo Cujacius Mediolanenses conatur obtrudere, invitis Codd. MSS. & interpp. Facile autem constat, istum §. moderni. esse additamentum aliquod posterioris ævi, & secundum illud etiam interpretanda ea quæ 1. F. 15. & 16. ex jure veteri proposita cernuntur. Simile exemplum 2. F. 30. de feudo fœminæ vers. alij verò. advertendum est, & alibi; ita ut libri hi feudales non à *αὐτῶν* Gerardo & Oberto adjudicandi veniant, sed tantum originariè. Atque hoc non tantum moribus Longobardorum & Germanorum, sed etiam Francorum obtinuisse, docet Ant. Dadinus Alteserra lib. sing. de orig. & statu feudor. pro morib. Gallie, cap. 2. At verò à Ludovico Pio cœpisse feuda transire ad liberos, teste Thegano lib. de gestis Ludov. P. c. 19. ait hic: *In tantum largus, ut antea nec in antiquis libris, nec in modernis temporibus auditum est, ut villas regias quæ erant sui & avi & tritavi, fidelibus suis tradidit eas in possessiones sempiternas, & præcepta construxit & annuli sui impressione cum subscriptione manu propriâ roboravit.* Regino: A. Dom. incarnationis DCCCCXL. Uto Comes obiit, qui PERMISSU REGIS quicquid beneficij aut præfecturarum habuit, quasi HEREDITATEM inter filios divisit. Odo Cluniacensis de Geraldo comite Aureliacensi lib. 1. c. 17. qui vixit tempore Caroli simplicis: *Neq; hoc patiebatur, ut quilibet Senior beneficia à Vasso pro qualibet animi commotione posset auferre.* Gerardus Niger loco allegato ea de re ita: *Sed cum hoc jure successionis ad filios non pertinere, sic progressum est, ut ad FILIOS deveniret, in quem scilicet DOMINUS hoc VELLE beneficium confirmare.* Itaque aut divisio impetranda erat à domino, aut dominus ex pluribus filiis vassallum eligebat. pergit: *Quod hodie ita stabilitum est, ut ad omnes ÆQUALITER filios pertineat.* nullo jure primogenituræ aut Majoratus admisso, neque jure testandi, 1. F. 8. pr. ita ut quamvis filii in testamento sint inæqualiter instituti, tamen æqualiter succedant, ut annotat Bald. ad d. c. 1. F. 1. & §. quia vidimus. V. Bitsch. ad 1. F. 8. pr.

§. VI

Id per Conradi Salici Imp. constitutionem, quum A. C. Constit. Conradi Imp. 1027.

A 3

1027. Imp.

1027. Romam proficisceretur, ad preces Statuum & vasallo-
 rum Imperii stabilitum & extensum fuit etiam ad nepotes ex
 filio qui *aviatici* in constitutione appellantur, quæ vox reperit-
 tur *lib. 3. LL. Longobardicarum. t. de benefic. & terris tributar. 8. cap. 4.*
 & apud Heroldum in fine *Originum ac German. antiquit. libro-*
rum pag. 344. & quam excerpfit Gerardus *d. 1. F. 1. §. 2.* sed in-
 interpolatam aliquo modo, quod ex collatione utriusque appa-
 ret: Constitutionis pars, quæ hûc facit, hæc est: *Præcipimus*
etiam, ut quum aliquis miles sive de majoribus sive de minoribus de hoc
seculo migraverit, filios ejus beneficium tenere: si verò filios non habue-
rit, & aviaticum ex masculino filio reliquerit, pari modo beneficium ha-
beat, servato usu majorum valvassorum in dandis equis & armis suis
Senioribus. Si fortè aviaticum ex filio non reliquerit, sed fratrem legi-
timum ex parte patris reliquerit, sed Seniorems offensum habuerit (ob
quod ab initio à successione simultanea cum fratre defuncto
exclusus fuit, quum aliàs feudum ad omnes æqualiter perti-
neat) & sibi (domino) vult satisfacere (purgata feloniâ) & miles
ejus esse, beneficium quod patris sui fuit, habeat, servato usu majorum
Valvassorum in dandis equis & armis suis Senioribus. Gerardus:
Cum verò Conradus Romam proficisceretur, petitum est à fidelibus qui
in ejus erant servitio, ut lege ab eo promulgata hoc etiam ad nepotes ex
filio producere dignaretur: & ut frater fratri sine legitimo herede de-
functo, VEL FILIUS in beneficio quod eorum patris fuit, succedat.
 Hic Gerardus omisit, quod Conradus hîc *Filiorum* imprimis
 successionem stabilivit, eorumque regulariter *aqualem*, remo-
 tâ primogenituræ & linearum jure, tum temporis incognito:
 nisi fortè unus aut contumaciâ & feloniâ offenderit Seniorems,
 & propterea ad successionem admissus non fuerit, tunc cæteri
 soli ad investituram admissi. Deinde, aviaticorum sive *nepo-*
tum successio ita fuit introducta, ut ii jure repræsentationis
 unâ cum patruis succederent avo, sicut hætenus in allodiis
 per constitutionem Ottonis I. Imp. de anno 948. quam Witi-
 chindus *lib. 2. de gest. Sax.* refert, & jam pridem Rex Longo-
 bardorum Rotharis aut Grimoaldus in regno suo idem intro-
 duxerat, ut constat ex *lib. 2. LL. Longob. t. XIV. L. 19. conf. si lu-*
bet Rosenth. cap. VII. n. 10. neque enim putandum est, patruos
 hîc à nepotibus exclusos in feudo paterno. Denique nepo-
 tibus

2.
nepot.

1. F. 1. §. 2.

3.
fratrum

tibus non extantibus, in feudo paterno quum jamtum fratres æqualiter successerint, pars feudi per mortem fratris improlis vacua accrescit quasi fratribus superstitionibus, vel potius hi in ista succedunt, *V. Bald. ad l. F. 1. n. 4.* sed si v.g. Titius decesserit, & reliquerit duos filios, quorum alter Senioreff offendens ad successionem non admissus, sed alter solus, qui decedit nullo filio nec nepote relicto, sed *fratrem illum legitimum ex parte patris* (h.e. ex linea paterna, exclusâ maternâ & fratre uterino,) reliquerit, qui offenderat Senioreff, quæsitum, an hic jam succedere possit? decidit Imperator, posse, si felonia remissa fuerit.

§. VII.

Quem specialem casum omittens Niger, tenorem constitutionis ita effert: *Et ut frater fratri sine legitimo herede defuncto, VEL FILIUS in beneficio quod eorum patris fuit, succedat.* quod ita intelligi possit, quasi post nepotes demum patru à Conrado admissi, quod tamen menti & LLatoris & ipsius Gerhardi, atque juri tum temporis recepto absolum est: præterea adjicit glossema & auctarium hoc: *Vel filius.* quod aliis, ut Cujacio, mendosum visum & vel expungendum, vel corrigendum & immutandum in *veluti filius.* sed communis lectio utique retinenda, non quidem quasi sit expressa in constitutione Conradi Imp. sed quòd ex ratione juris & ex usu fori feudalis hoc interpretamentum extensivum Gerhardus adjecit, ut sicuti avo nepos ex filio, ita & fratri nepos ex fratre succedat. Id quod tamen idem statim restringit ad feudum paternum seu avitum quod & antiquum dicitur: excepto feudo novo; itaque pergit: *Sin autem unus ex fratribus à domino feudum acceperit: (de novo, non delatum à patre) eo defuncto sine legitimo herede, frater ejus in feudum non succedit. quod etsi communiter acceperint (per simultaneam investituram) unus alteri non (magis) succedit, nisi hoc nominatim dictum sit (per pactum investituræ adjectum) scilicet ut uno defuncto sine legitimo herede alter succedat: herede verò relicto, alter frater removebitur.*

§. VIII.

Atque ita porrò ad Agnatos successio feudalis ad instar Juris Civilis fuit admiffa: exclusis regulariter fœminis & cognatis, qua de re pergit Gerhardus: *Hoc autem notandum est, quod*

4.
ex fratre
nepos.

5.
Agnato-
rum ulter.

quod licet filia, ut masculi, patribus succedant, legibus (civilibus, Justinianeis: ita enim cum Accursio & Cujacio interpunctio facienda, contra quam vulgo) tamen à successione feudi removen-
 tur, (consuetudine & constitutionibus feudalibus.) Ratio adjecta cernitur: quia neq̄, *faidam levare, vel pugnam facere possunt*, quæ à vulgaribus editionibus absunt, vetus tamen Codex Cujacianus ea habet, & P. Pithœus ita legit in *Glossar. L. Salicæ, t. LXII. fi.* Accursius quoque, ut ex ejus Glossa apparet, ubi *faidam* per inimicitiam exponit. *Levare enim faidam* est inimicitias & bellum denunciare, *Fede erregen*. Ratio hæc & formula loquendi jam tum extat in constitutione Luitprandi Regis Longobardorum, *lib. 1. LL. Longob. t. 9. l. 18. & tit. 18. l. 1.* similiter dicitur *seditionem levare*, itemque *L. Baivarior. t. 2. §. 3.* similiter & earum filij (cognati) nisi specialiter dictum fuerit ut ad eas pertineat feudi successio pacto investituræ adjecto. Neque tamen adhuc recepta fuerat post Conradi constitutionem tota agnatorum successio, sed restricta duntaxat ad filios fratrum, ut Gerhardus modo adjiciebat, sive ad patruales. unde pergit §. 4. *Hoc quoq̄, sciendum est, quod beneficium hoc* (successionis scilicet, contra quam alij intelligunt, textum quoque corrigentes) *ad venientes ex latere ultra fratres patruales non progreditur successione secundum usum ab antiquis Sapientibus constitutum.* Sed postea Jus Romanum eatenus admissum, ut ad quem usque gradum Cognati eo jure succedunt, ad septimum scilicet. *L. 9. pr. π. unde cognati. & §. 5. J. de success. cogn.* in feudali successione Agnati eousque admitterentur. Gerhardus pergens ait: *Licet moderno tempore usq̄, ad septimum geniculum* (generationem, gradum,) *sit usurpatum, (usu introductum.)* Ratio erat, quod jam tum in successione allodiali id à Longobardis receptum fuerat, ut constat ex Rotharis Regis *L. 1. lib. 2. tit. XIV. Omnis parentela in septimum geniculum numeretur, ut parens (cognatus) parenti per gradum & parentelam heres succedat.* Atque hoc jure usos fuisse Longobardos tempore Gerhardi Nigri, qui scripsisse fertur A. C. 1151. ipsius verba testantur, *moderno tempore.* unde verba sequentia non videntur esse Gerhardi, sed recentioris manus: quod in masculis descenditibus hodie novo jure usque in infinitum

tum

tum extenditur. atque Accursius testis est, quosdam Codices ea verba non habere. Et Baldus hæc verba hîc non legit, sed ait n. 16. *sed certè alibi dicit litera, quod etiam agnati succedunt in infinitum.* Quicquid sit, si de descendantibus defuncti de cujus successione quæritur, & non de collateralibus defuncti & descendantibus primi acquirentis (de quibus tamen hîc alioquin loquitur auctor) verba hæc adjecta intelliguntur, possent pro genuinis haberi. Cæteroquin verum est, etiam collaterales sive agnatos novissimo jure in infinitum succedere, ut ex progressu patebit. Vid. interea si lubet Rosenth. c. VI. concl. 56, 6.

§. IX.

Ex his apparet, postquam jus successionis receptum est in feudis, id factum fuisse secundum Jus Romanum, nec tamen ex toto, sed ex parte. Ad eò autem receptum fuisse constat, ut & verba ejus juris expressa in hoc nostro fuerint. Nam quod Justinianus §. 2. *J. de her. qual. & diff.* ait: *si quis intestatus moriatur, prima causa est in successione liberorum.* illud 2. F. II. Hubertus ab Orto ita sequutus: *Mortuo eo, qui beneficium tenebat, prima causa liberorum est.* Quoad fratrum & nepotum ex fratre successionem, ex Conradi Imp. constitutione, ut §. V. vidimus, nepos ex fratre nondum admissus. Similiter Jure Romano; ait Justinianus: *Si plures sunt gradus agnatorum, aperte lex XII. Tabularum proximum vocat.* Itaq; *si sint defuncti frater & alterius fratris filius, aut patruus, frater potior habetur.* Quod utroque tamen jure postea correctum. Atque generalem regulam suggerit Obertus 2. F. 37. *ibi: ad agnatum proximiorum feudum pertinebit, si paternum fuerit: eodem prorsus observando quantum ad ORDINEM GRADUS, qui continetur in Legibus.* ubi per Leges Jus Romanum intelligi, communis Dd. est consensus, usu fori & summorum Tribunalium confirmatus, nec alio Jure successionis feudalis gradus computari quàm Jure Civili Romanorum, quod & Cujacius probat. Primus ferè Hottomannus, singularitatem captans, contrarium obtrudere voluit, quem pauci secuti; sed excussit ejus opinionis fundamenta sat lubrica H. à Rosenthal, *cap. VII. concl. LVII.* Contra verò Baldus *Pref. sup. Feud. n. 47.* generatim ait: *Casus consuetudinis feudalis non determinatus, relinquitur determinationi juris*

B

60789

communis. Nam & id ipsum jamtum Obertus de Otto 2. F. 1. inculcarat: *Strenuus*, inquit, *Legisperitus*, sicubi casus emerferit, qui consuetudine feudi non sit comprehensus, absq̄ calumnia uti poterit lege scripta. Legem porrò scriptam appellat, quam antea dixerat modò Jus Romanum, modò Leges nostras, modò Leges Romanas. Id quod nec recentiores respuunt. Franc. Sonsbeccius ad *Ufus Feudor.* P. IX. n. 86. notat: *Una maxima hic fuerit prasupponenda, nempe in feudis cum decisionem cause non habemus, tunc recurrendum perpetuò ad jus civile, c. l. §. strenuus. de feud. cognit. conf. Alvarott. ad d. t. de feud. cognit. n. 5.*

CAPUT II.

De Differentiis Juris civilis & feudalis
in Successionibus.

§. I.

TIT. L.
lib. II.
Auctor.

Scopus.

Partitio.

PRæmissâ itaque verborum significatione & hujus juris successorii historiâ, rem ipsam, aggredimur, & Titulum propositum consideramus. Is speciem aliquam Responsi Prudentum continet, cujus autorem esse Obertum sive Hubertum ab Orto, alterum celebrem consuetudinum feudalium compilatorem, partim ex inscriptione libri hujus secundi, partim ex sequente titulo constat, ut progredientes §. 18. videbimus. Scopus auctoris est hic: antea diximus, ex Jure Romano receptam fuisse successionem Juris communis, etiam in rebus feudalibus: at verò quum istud non in totum & absolutè, sed ex parte factum sit, itaque prima pars hujus tituli versatur in explicandis differentiis, quæ intercedant inter successionem Juris Civilis simpliciter, quæ & Allodialis dicitur, & inter successionem Juris Feudalis. Altera deinde pars speciatim circa successionem agnatorum occupatur in feudo paterno succedentium, ut & Baldus bene partitus, quem communiter sequuntur.

§. II.

§. II.

Prior pars quatuor differentias exponit Juris succedendi allodialis & feudalis. Prima est circa Adscendentes. Tralaticium est, quod Jure communi & Justiniano novissimo Adscendentes, descendentes non extantibus, ad liberorum hereditates admittuntur, per *Novell. 118. c. 2.* idque in solatium amissorum liberorum, mortalitatis ordine turbato: Quo jure etiam nos in hereditatibus allodialibus utimur. At secus est in feudalibus. ait textus: *Successionis feudi talis est natura, quod adscendentes non succedant: verbi gratia, pater filio.* Ratio hujus juris ex natura successionis feudalis sumenda innuitur, quippe quæ eò non fuit extensa, nec Jus Civile hæcenus receptum in feudali successione. Hanc naturam Obertus 2. F. 23. ulterius sic exponit. *Hujus autem generis (beneficii in genere) species quædam est Beneficium illud, quod ex benevolentia ita datur alicui, ut proprietas (dominium directum) quidem rei immobilis beneficiata penes dantem remaneat, ususfructus verò (feudalis sive dominium utile) illius rei ita ad accipientem transeat, ut ad eum heredesq; suos masculos sive feminas, si de his nominatim dictum sit, in perpetuum pertineat: ad hoc, mille & sui heredes fideliter domino serviant.* Atque sicuti Romanis LLatoribus placuit de usufructu, ne in universum inutiles essent proprietates, semper abscedente usufructu. certis modis eum ad proprietatem reverti, §. 1. *J. de usufr. l. 56. π. de usufr.* ita & feudalis juris auctoribus placuit, ne extinctis descendentes & receptâ in rerum successione allodiali in perpetuum inutile sit dominium directum, non tantum certis casibus reverti dominium utile ad directum, sed speciatim quoque ne adscendentibus deferatur successio, sed duntaxat ad eos qui per masculos à primo acquirente DESCENDUNT, 2. F. 31. quos vocamus *Leibs-Lehns-Erben*, quasi dicas qui de corpore vassalli oriuntur legitime, quod de adscendentibus dici nequit.

§. III.

Ad naturam tamen successionis feudalis hoc tantum pertinet, non ad essentiam, quæ per se est immutabilis; cæteroquin natura hæc per pactum adjectum mutabilis est, & casus dari possunt, ut etiam pater filio succedat in feudo, si hoc expressè in investitura continetur, 2. F. 84. Idem est si consuetudine

B 2

aut

Diff. I.C.
Eo F.
1. Adscend.Reg.
Rat.

Exc.

1.

2.

3. aut *constitutione* speciali id introductum alicubi fuerit, ubi feudum situm est, ut post Dd. allegatos tradit *Schrader. de Feud. cap. VI. 4.* Sed & *tacitâ* conventionem adscendentium juris feudalis interpretes admittunt, quoties filius intuitu patris & propter ejus benemerita præstita investitus fuerit & improlis decesserit: à quibus dissentit *Dn. Struv. de Feud. c. IX. 3, 4.* Cautus pater hunc casum sibi in filii investitura exprimi curabit. Itemque similiter si pater feudum domino in favorem filii refutaverit, ut eo vivo ad filium perveniret, & filius decesserit, superstitie patre, *arg. 2. F. 14.*

§. IV.

26. Denique H. à Rosenthal indistinctè asserit, adscendentes in feudo paterno sive avito, quod ad filium fortè pervenerat, ei sine descendens mortuo succedere regulariter; ob has rationes, primò quod textus noster de novo tantum, non de paterno loquatur, quare in dispositione juris communis manendum. At hoc argumentum in adsumptione vacillat, nam titulus noster non tantum generatim de feudo loquitur, adeoque & de paterno sive veteri, & de novo; sed etiam expressè de paterno atque veteri, ut inspicienti patet. Altera ejus ratio petita est ex allegato textu *2. F. 14. de vas. decrep. et atis.* quòd ratio ibi, cur pater admittendus, non allegetur alia, quàm quòd feudum non sit novum per istam refutationem, sed manserit paternum. Verùm non quæstio ibi est de patris successione, quippe qui in casu ibi proposito mortuus proponitur, sed de fratre & domino, uter succedat, & ratio decidendi ex qualitate feudi paterni arcessitur. Etsi verò etiam hæc ratio ad patris adhuc vivi successione applicari poterit, non tamen ita generaliter per hunc quidem textum, sed in iisdem terminis refutationis paternæ in favorem filiorum, non verò refutationis meræ & absolutæ, multò minùs in universum nulla interveniente paternâ refutatione, in quibus tamen terminis Rosenthalius quæstionem formavit. Tertia ratio nihil conficit in universum, sed hoc tantum, quòd dari possint casus excepti, quibus adscendentes succedant in feudo, de qua re nulla est dubitatio. Ultima ejus ratio in auctoritate fundatur quorundam Dd. inter quos & Schraderum recenset, & quod Camera

R. dub.

1.

2.

3.

4.

mera

mera Imperialis non in contrarium judicaverit. At plerique omnes autores ibi allegati loquuntur de casibus tantum exceptis, non de regula, quod & Dn. Struvius animadvertit c. IX. 3, 3. neque auctoritatibus res conficitur, præsertim si contrariis auctoritatibus pugnatur, sed ratione. Denique à re judicata negativè nulla est consequentia, argumento enim est, quòd casus non oblatus fuerit, de quo ita vel aliter judicaretur, sed oportebat rem judicatam in terminis adferri. Magis itaque est, ut communem sequamur sententiam, & regulariter adscendentes ne quidem in feudo veteri ad successionem admittamus. *conf. cap. III. §. 16.*

§. V.

Alia quæstio hîc oritur, an in casibus illis exceptis, ubi pater succedit filio, etiam unâ cum patre defuncti frater superstes admittatur? Quod quidem in omnibus illis casibus neque negari neque affirmari poterit; veluti si pater per pactum investituræ solus succedit, aut per constitutionem singularem, tunc negativa certi juris erit. Sed in dubiis casibus an pater succedens fratrem defuncti excludat, quæstio est. Etsi verò pro negativa ex hoc ipso titulo fundamentum quæritur, ex verbis: *proximiores respectu aliarum linearum*, & hæc hypothesis constituitur: In successione feudali propinquiores gradu atque linea remotiores utrinque excludere: Patrem autem & gradu & linea esse proximiorum fratre defuncti; itaque excludere illum, & solum succedere filio. Primò enim nec ex titulo hoc, nec ex ratione juris sive civilis sive feudalis solidè probatur proximitas inter lineas aut linearum, sed toto jure feudali proximitas est affectio gradus non lineæ. Nec primogeniti linea proximior patri est, quàm secundogeniti & deinceps: nec linea recta & linea obliqua altera alterâ proximior est; sed frater patre remotior est, non lineæ ratione, sed gradus sive generationis. Etsi itaque pater gradu proximior est in casu proposito, propterea tamen hæc proximitas non sufficit ad excludendum filium superstitem sive defuncti fratrem, quia quum de jure feudali hæc quæstio decisa non sit, igitur ex Jure Communi sive Justiniano decidendi ratio arcessenda, secundùm ea quæ Cap. I. §. VII. dicta sunt; Atqui eo jure filius superstes

Decis.

Qu.

R. dub.

B 3

cum

cum patre admittendus est per Novell 118. c. 2. quæ communis est Dd. sententia, Schrader. P. 7. cap. 6, 11. Rosenth. c. 7. concl. 14, 24. Schultz. de Feud. c. 8, 17. Secus Jure Saxonico, quo pater filium excludit, J. Prov. Sax. lib. 1. art. 27. Dissentit à communi Andreas de Ifernina & Matth. de Afflictis ad 2. F. 14. de vas. decrep. et. n. 2. si. quanquam hic posterior dubitative ferè decidere aut Iferniam sequi videtur: quos & Dn. Struvius c. XI. 3, 3. sequitur.

§. VI.

II. Altera differentia juris circa successionem allodiam & feudalem est circa Descendentes. Jure Romano, Justiniano præsertim, liberos & nepotes & reliquos descendentes sine sexus discrimine ad successionem admitti, tralatitium est, sed naturam feudalis successionis ita constituerunt juris hujus conditores, ut descendentes sexus masculini & ex eo porro progeniti succederent, excluso sexu foemineo & qui ex eo nascuntur. Ait textus: *Inferius verò filius patri succedit, & non filia.* cum quo concordat 1. F. 1. §. 3. Hoc autem notandum est, quod licet filia, ut masculi patribus succedant Legibus: tamen à successione feudi removentur. Et 1. F. 8. quod idem est de successione feudi: *siquis decesserit filiis & filiabus superstibus, succedunt tantum filij ÆQUALITER, vel nepotes ex filio, loco sui patris, nullâ ordinatione defuncti in feudo manente vel valente.* ita ut per ultimam voluntatem filia succedere nequeant. 1. F. 24. *Siquis sine filio masculo mortuus fuerit & reliquerit filiam: filia non habeat beneficium patris.* 2. F. 11. Mortuo eo, qui beneficium tenebat, prima causa liberorum est; Filiis enim existentibus (masculis) vel ex filio nepotibus, vel deinceps per masculinum sexum descendentibus ceteri removentur agnati. Ad filias verò seu neptes vel proneptes, vel ex filia nepotes, seu proneptes, Successio feudi non pertinet. Proles enim foeminini sexus, vel ex foeminino sexu descendens ad hujusmodi successionem aspirare non potest.

§. VII.

Ratio. Rationem hujus regulæ feudalis ex 1. F. 1. supra jam attuli §. VIII. Cap. 1. eaque confirmatur ex primæva feudi natura, quâ loco stipendii militaris aut & palatini feudum concedebatur, cujus neutrius capax foemina; quæ ratio communis est etiam in *Alode Salicâ*, etsi enim tempore Legis Salicæ conditæ h. e.

h.e. Dagoberti, beneficia non fuerunt transitoria ad heredes, nihilominus tamen Alode etiam terræ Salicæ non transibat ad filias. Tit. LXII. qui est de Alodis, quum de Alode in genere liberos vocasset & deinde parentes & postea fratres & sorores ac deinceps sequenti modo: I. si quis mortuus fuerit, & filios (liberos, aut filios quoque l. 116. π. de V. S. l. 45. de leg. 2.) non dimiserit, si pater aut mater superstites fuerint, in ipsam hereditatem succedant. II. Si pater & mater non superfuerint, & fratrem aut sororem dimiserit, in hereditatem ipsi succedant. III. Si isti non fuerint, tunc soror MATRIS in hereditate succedat. IV. Si verò soror matris non fuerit, sic soror PATRIS in hereditate succedat. V. Et postea sic de illis generationibus, quicumq; proximior fuerit, ipsi in hereditate succedant, qui ex paterno genere veniunt. tandem successioni in Alode opponit successionem in Terra Salica & filias ac foeminas omnes excludit. VI. De TERRA verò SALICA in mulierem nulla portio hereditatis transit, sed hoc virilis sexus acquirit; hoc est; filij in ipsa hereditate succedunt. Terra Salica est, inquit Goth. Wendelinus in Glossario Salico, ille fundus vel prædium, quod Salicus homo possidet: qui ut Nobilis est ac Liber, ita & bona sua possidet *Liberâ Alode, En Francq Alleu*, ut loquuntur. - - Salica proin Terra intelligitur, quæ est Salico viro data in Alodem suam pro stipendio Nobili; quæque ab Aula aliqua, summaque aut subalternâ SALA ita dependet, ut ab ea separari non debeat. Quoniam ergo Salicorum hominum est, armis tueri Remp. foris; domi verò Legibus eandem moderari; coram Principe, Comite sive eorum Vicariis, cum Scuro in Malbergiis ac SALA confidere, jusque reddere; quæ utraque aliena sunt à foeminis; meritò certè foeminæ, sicut ab Officiis civilibus ac militaribus remotæ sunt, ita & à stipendiis istis ac præmiis repelluntur. *hac Wendelinus.* Qui porrò quæstionem subjicit, an foeminæ in perpetuum Lege Salica à successionem remotæ? idque negat, sed eò usque tantum, dum virilis sexus extiterit. quæ ipsa limitatio in Lege Ripuaria, quæ etiam Francica est, tit. LVI. continetur: *sed dum virilis sexus extiterit, foemina in hereditatem aviticam non succedat.* Quam eandem sententiam etiam fovet Hier. Bignonius ad L. Salicam d. t. LXII.

§. VIII.

*Ampl. ad
nepotes ex
filia.*

Ratio.

Extenditur hæc regula de exclusionem foeminarum, etiam ad nepotes ex his natos. Etsi enim hi sunt masculini sexus, adeoque capaces servitiorum militarium, vel palatinorum: nihilominus non sunt capaces successionis feudalis, 2.F. 11. ibi: *vel ex filia nepotes seu pronepotes successio feudi non pertinet. Proles enim foeminini sexus vel ex foeminino sexu descendens ad hujusmodi successionem adspirare non potest.* Rationem inquirens Accursius, ad 1. F. 1. §. 3. verb. à success. feudi. ait, esse pro ratione voluntatem. id quod reprehendit Baldus, & errare Glossam, nam ratio, inquit, quare non succedit nepos ex filia, est: quia successio non est per saltum, & ideo expetit, quod gradus ante se sit successibilis: nam destructo ordine, destruitur ordinabile, ut ff. de serv. rust. præd. l. tria præd. & ad destructionem antecedentis sequitur destructio consequentis, ff. de off. ej. cui mand. l. 1. §. hujus. Quæ ratio luculentior est, quam quæ à Matth. de Afflictis ad h. l. n. 8. & à Steph. Forcattulo Comm. de Feudis cap. V. 3. ex vitiata radice adfertur, rhetorica magis, quàm juridica. Nimirum adæquata ratio, ob quam nepotes ex filia à successione feudali remouentur, non consistit in habilitate vel inhabilitate ad servitia; quæ filias ipsas adficit: sed in deficiencia medii per quod successio deferri potest. Neque enim primo acquirenti immediatè succedi potest, sed mediante ultimo successore defuncto; quum autem mediante matre quippe quæ successionis incapax est, successio filio nulla deferri possit, igitur & ipse successionis talis incapax est. Accedit & ex prudentia civili ratio, ut, quia foeminæ familiam egrediuntur, ex his nati nepotes alterius sunt familiæ, ad conservationes singularum familiarum successio intra cujusque fines permaneret.

§. IX.

Ext.

Atque hoc regulariter atque secundum naturam feudalis successionis: quæ tamen ipsa mutari potest aut per Legem vel consuetudinem singularem, aut per conventionem lege permitte. ait textus: *Et non filia, nisi ex pacto, vel nisi sit foemineum.* Duplex itaque hic est: prima ex pacto investituræ adjecto, ut filia quoque ad successionem vasalli admittantur; altera ex natura singulari feudi, quod foemineum appellatur, hoc est, quod aut foemi-

foeminae primò fuit collatum, aut ut Matth. de Afflictis loquitur, quod semel fecit transitum ad foeminam, aut saltem cujus acquirendi capacitatem sexus foemineus accepit, nec in effectu à materno differt, ut communis Dd. schola & usus fori comprobatur, etsi alii subtiliter ista distinguere velint. Utrumque autem fit lege aut consuetudine ita permittente. De priori exceptione Gerardus 1. F. 1. §. 3. ait: *Nisi specialiter dictum fuerit, ut ad eas (filias) pertineat.* Et tit. 8. §. 2. *Filia non succedit in feudo, nisi investitura fuerit facta in patre ut filij & filiae succedant in feudum, adjecta alià: Vel nisi investita fuerint de hoc feudo paterno.* vivo scilicet patre & nullo extante agnato, quæ interpretatio ex §. antecedente fluit, ubi dictum, quod si frater partem feudi paterni filiae vivus cessit & investiri eam fecit, eo mortuo sine herede masculino, nihilominus revertatur ad fratrem superstitem per actionem feudi revocatoriam. Secus autem in hoc casu, agnato non superstito. Neque opus est, ut textum corrigamus. De priori exceptione ex pacto idem Juris nostri auctor, 1. F. 14. §. si duo fratres. ex restitutione Cujaciana ait: *Quod diximus de fratribus, ut unus alij succedat [per pactum:] idem intelligendum est de filiabus.* In his omnibus videndum est, quid actum sit inter contrahentes. Investitura enim, quæ fit ante duos vel tres liberos homines servari debet, nisi juri vel naturæ contraria sit. Si ergo domino & fidei placuit, ut paciscantur de filiabus quatenus ipsæ succedant, hoc quoque servandum est. Et sic per pactum filiae succedunt. At quid si una filia ex pluribus indeterminatè ad successionem per pactum vocetur, ad quam pertinebit? Respondeo ex 1. F. 1. §. 1. ad eam inter sorores, in quam scilicet Dominus hoc volet beneficium confirmare. quam sententiam etiam tuetur Carpz. §. de Feud. 48.

§. X.

Allegari solet etiam hanc in rem textus 1. F. 24. *Si quis sine filio masculino mortuus fuerit & reliquerit filiam: filia non habeat beneficium patris, nisi à domino redemerit.* Si autem dominus ei dare voluerit (absque pretio) propter servitium & amorem patris, non revocetur ab ullo ex parentibus suis, neque damnatur. Etsi autem Bitschius hinc notat, perperam à plerisque Interpp. & feudalium tractatum autoribus doctrinam hujus loci referri ad materiam

3.
1. F. 24.
expl.

riam successionis, & quidem inter exceptiones, quibus foeminae ab ea excludantur; nihilominus tamen quum idem textus saepe ad diversas materias & earum sedes referri possit, non video quid hic peccaverint interpp. plerique omnes.

Cas. Certè enim in casu proposito, *siquis sine filio masculino mortuus fuerit*, praesupponitur regula de successione filii, si filius superstes esset, quod utique succederet, atque idem est de nepote & omnibus descendantibus ex masculis: sed quia filia superstes est, quaeritur an & ea succedat? & respondetur quod non: *Filia non habeat beneficium patris* h. e. à patre relictum, sive novum sive antiquum fuerit, perinde est quoad successionem foeminarum: idque nullo modo per successionem. At posse tamen alio modo filiam illud adipisci ut feudum novum & foemineum, textus subjicit: *Nisi à domino redemerit*, apertum scilicet domino. quod & Alvarottus ad 2. F. 50. n. 6. rectè observat. Imò extenditur hæc limitatio etiam ad donationem, & nullo pretio interveniente, *si dominus ei dare voluerit propter servitium & amorem patris*, valida erit acquisitio. At quid si proximus ex parentibus h. e. agnatis, V. Cujac. hic, & St. Baluz. ad Salvian. pag. 427. & ad Agobard. pag. 79. revocatoriam feudi jure *protimiseos* in priori, aut jure *familiae* in posteriore casu instituere velit, an audiendus?

§. XI.

R. dub.

Ratio dubitandi est ex natura feudi petenda, quod *sexus* masculinus regulariter in acquisitione feudi foemineo praefendus, tum propter servitia militaria aut palatina, tum ob conservationes *familiarum* nobilium, quæ per mares non per foeminas fieri potest. Loquitur enim textus de ejusmodi agnatis qui jus successionis non habent, & quorum respectu feudum hoc, de quo quaeritur, utique non potest dici antiquum sive paternum, quum ut optimè Petrus de Cremona, Baldus, Matth. de Afflictis contra Jac. de Belloviso docent, jus quaesitum successionis agnatis non possit per redemptionem auferri invitis, sed utique gaudent hoc in casu actione revocatoria adversus dominum. Nam quod Cujacius cum Jacobo de Belloviso faciens, ait: *Redemptio potior est successione*, praesupponit quidem, sed non probat: contrariatur autem & ratio juris & naturalis æquitas de jure quaesito alteri non auferendo,

do, l. 11. π. de reg. jur. Cæteroquin ratio dubitandi & fundamentum agnatorum hoc in casu tantum consistit in ratione civilis prudentiæ ex natura feudi arcessita, ut, quemadmodum dixi, sexus masculinus fœmineo sit præferendus & familiæ defuncti conservatio observanda, etiam tum, quoties non de jure quæsito, sed de quærendo & conferendo quæritur. Et videatur hanc in rem Tiraquell. de retract. municip. præf. n. 41. Consil. Argentorat. Vol. 1. cons. 24. 9. Verum enim verò decidendi ratio ex jam allatis satis constat, quum dignitas sexus, & familiæ conservatio non conficiant rationem decidendi adæquatam, contra verò in libera domini voluntate consistat, utrum feudum sibi apertum filiæ defuncti ob merita paterna sive pretio quodam sive gratis concedere, sive sibi reservare, necne velit; igitur actio revocatoria ex parte agnatorum in jure fundata hæctenus non est.

§. XII.

Hæc planissima, sed & communi & in foro receptæ sententiæ consona est explicatio & concordantia cum aliis textibus; ut mirer alios Interpretes in tot diversas opiniones & conjecturas dilapsos fuisse, quas latius recenset & examinat *Bitschius*, sed tandem in ea acquiescit, quod in duobus istis casibus, redemptionis aut gratificationis, possit dominus præjudicare agnatis; veruntamen non jure recepto, sed jure veteri cum hæc rhapsodia juris feudalis componeretur: postea enim consensu Feudistarum & consuetudine aliud fuisse introductum & receptum. At verò non satis causæ habemus, cur à recepta & plana sententiâ recedamus, & falsa est hypothesis, quod oporteat hîc facti speciem talem poni, quâ præjudicium agnatis fiat. Verum enim præjudicium de jure fieri nequit, ergo nec hoc præsupponendum est, nec tale quid imputandum Juris feudalis conditoribus cum Hottomanno: Sed de præjudicio duntaxat putativo & probabili textus se vult intelligi, ut antea expositum. Denique ista hypothesis est contra Juris feudalis historiam, quam primo capite præmisimus, ex qua oppido patet, jam tum Conradi Salici constitutione fratres, & postea quoque reliquos agnatos jus quæsitum successionis accepisse, quod neq; Impp. sequentes, multò minùs Feudistæ, ut vulgò loquuntur, intervertisse persuaderi potest. Cæterum & hic textus, quemad-

C 2

modum

R. dec.

Diff. in
terpp.

Constit. Lo-
thar.
1. F. 19.

modum & antecedens videtur utique adhuc esse pars Constitutionis Lotharii Imp. non primi, ut vult Hottomannus contra fidem historiarum, sed Saxonis, aut Secundi, qui A. C. MCXXXVII. quo professio Juris Romani Bononiæ restaurata fuit ab eodem Imperatore, Romæ constitutionem feudalem edidit, quam Gerhardus l. 1. r. XIX. sqq. refert. Etsi enim Andr. de Isernia, Matth. de Afflictis, Alvarottus & Cujacius hos duos titulos XXIII. & XXIV. Oberti vel Gerhardi potius continuationem feudalem velint, magis tamen est, & tum connexio titulorum, tum stylus quoque suadet, ad constitutionem Imperatoriam etiam hos duos titulos referamus: neque enim Interpretis stylus hinc apparet, sed Legislatoris; eò pertinet, quod non receptum jus duntaxat refertur, sed per modum præcepti aut edicti constituitur, veluti per verba: *Adhibeantur Pares: Veritas inveniatur: Non habeat beneficium: non revocetur: non damnetur.* Quæ phrasæ potius sunt LLatoriarum potestatis, quam compilatoriæ relationis & privatæ.

§. XIII.

2. F. 30.

Hæc ex Gerhardi Nigri, primi compilatoris feudalis compilatione & Lotharii quoque constitutione, ut videtur. Videmus quid in altera juris nostri compilatione Oberti sive Huberti ab Orto hac de irregulari fœminarum successione habeatur. Confirmat ille utramque exceptionem à Gerardo antea allatam, 2. F. 11. ibi: *Ad filias verò -- successio feudi non pertinet: -- Nisi ejus conditionis sit feudum (h. e. fœmineum) vel eo pacto acquisitum.* Sed quantum ad priorem exceptionem, si feudum est fœmineum, contradictores invenerunt uterque Gerardus & Hubertus, ut ex 2. F. 30. patet: *Si fœmina habens feudum decesserit: quia fœmineum est feudum, & sine pacto speciali, deficientibus filiis masculis, ad filias pertinebit. Obertus & Gerardus. Alij verò dicunt, Nisi per pactum speciale, ad eas non pertinere; sicut si datum esset filio masculo: quia si idè, quod est fœmineum, sine pacto transit in fœminas, eadem ratione, quia est fœmineum, transit in fœmineam prolem, etiam masculis extantibus: quod falsum est.* Hinc observatu dignum, quod & supra cap. 1. §. 5. notatum, Gerardi sententiam jam tum è libro primo visam & à Gerardo lib. 2. r. XI. approbatam, hinc iterum recenseri; sed cum recentiori assutura alterius sententiæ, & priori

priori haftenus contrariae, quod scilicet in feudo foemineo non succedat filia, nisi per pactum adjectum expressè, non verò ex natura feudi foeminei generatim.

§. XIV.

Ratio dissentiendi arcessitur à natura successionis in feudo generali, per deductionem ad inconveniens, ut dialectici loquuntur, hoc modo: Si feudum foemineum quò tale, & præciso pacto speciali, transit ad foeminas & filias præsertim, sequitur quòd etiam masculis extantibus deferatur successio foeminis. Sed consequens est falsum; Igitur & antecedens. Hæc est mens dissentientium. Neque enim opus est, ut verba illa: *quod falsum est*, referamus ad Obertum, ut Rosenthalius, & quos sequitur allegatque, contendit *cap. VII. concl. 35, 6.* quum utique hæc sit duntaxat additio quædam recentior ad compilationem Oberti quale quid etiam est totus titulus 2. F. 51. Sed eò redit quæstio, utra sententia in jure ac ratione feudali magis fundata sit; itemque quæ in usu fori feudalis recepta? Quod ad juris rationem attinet, considerata & excutienda est ratio & fundamentum dissentientium, atque deductio ista ad absurdum. Porrò in ea præsupponitur consequentiam esse firmam, quæ tamen planè est nulla. Antecedens utique verum est, & supra auctoritate & usu approbatum, quod scilicet feudum foemineum quò tale, transeat ad filias foeminæ defunctæ: sed exinde non sequitur, ergò transit æquè ac pariter cum filiis ad filias. Enimverò non confundenda erat natura feudi in genere, cum natura feudi foeminei. Generica feudi natura est, ut masculi excludant foeminas simpliciter: foeminei feudi natura, foeminas non excludit simpliciter, sed imò admittit, eoque ipso temperat naturam genericam; at temperat inquam, non tollit; quare, quia foemina semel in feudo investita fuit, idque in rem, non per pactum speciale in personam duntaxat, igitur foemina filia æquè capax est possessionis hujus feudalis, quàm mater, secundum naturam hujus feudi specialem & temperatam; quæ radicem tamen naturæ genericæ retinet, ita ut foeminæ filia quidem succedant, sed masculis non extantibus demum. Eadem ratio dubitandi quoque circa filios mulieris vasallæ fuit ab aliis mota, an in feudo matris succedant, sed per rationem juris & æquitatem est rejecta, ut patet ex 1. F. 15.

Diff. interpp.

§. XV.

Praxis.

Denique quod ad auctoritates & usum fori attinet, Glossa quidem hanc sententiam ex æquitate alteri rigidæ postponere videtur; dum ait: *Et merito non succedunt sine pacto speciali: nam secundum rigorem consuetudinis filij masculi non succedunt matri.* Sed recedunt à Glossa Ardizo, Jac. de Belloviso & Baldus, Alvarottus, Ravennas, Zasius, Duarenus, H. Pistoris, Sneidwinus, & quos alios recenset ac sequitur, velut communem & receptam in foro sententiam Rosenthal. *d. c. VII. concl. 35.* B. Schrader. *de Feud. 7:4. 48.* quanquam hic M. de Afflictis perperam huc alleget, quippe qui contrariam opinionem sustinet, idque ex hoc fortissimo medio, quod ille vocat, *n. 1. ad h. t.* ait: *Certum est, quod non debet plus esse privilegiata fœmina in feudis quàm masculus, ut infra: Sed certum est, quod quando masculus habet feudum, & moritur sine filiis masculis superstitute filia fœmina, tale feudum non venit ad filiam, nisi expresse sit dictum in investitura, ut infra, &c. ergo dicendum est idem in feudo materno; ut non transeat ad filiam fœminam, nisi sit dictum. aliàs sequeretur, quod majus privilegium haberet feudum maternum quàm paternum, &c.* Sed robur hujus argumenti non difficulter solvi potest. Non hîc de privilegio quæstio est, ex quo succedat fœmina, sed de natura feudi fœminei; id verò certo certius est, quòd fœminei feudi natura amplior sit quàm feudi masculini, quum semper regula sit strictior suâ ampliatione; etsi autem regulariter mares tantùm succedunt in feudo regulari & proprio, in feudo tamen fœmineo, ut irregulari, succedit etiam fœmina secundùm naturam hujus feudi, etiam sine pacto expresso, quum natura hæc specialis tacitè contineat hoc pactum, nisi expresso pacto in personam fœminæ acquirentis sit restrictum, quod *Feudum fœmina*, non fœmineum, cum Cujacio dici poterit: nulla itaque æquè consecutio est in Matthæi argumento, quàm in ipso textu.

§. XVI.

Magis plausibile arguit Birschius: *Si fœminei feudi qualitas & conditio causa sufficiens & absoluta est, ut etiam citra speciale investituræ pactum, successio filiabus deferatur; id non minus extantibus, quàm deficientibus filiis locum habebit.*

Con-

Consequentiæ rationem hanc exprimit: quod utrobique eadem sit ratio, & quod positâ causa sufficiente & absoluta, sequatur effectus, ponitur autem illa causa æquè quum filii extant, ac cum non extant, utroque etiam casu peræque fœmineum feudum est. hæc ille. Sed tamen & hæc consequentia vacillat: neque enim par ratio est conditionis, *si filij extiterint*, & contrariæ, *si filij defecerint*. Atque natura feudi fœminei potest dici causa sufficiens & absoluta, hoc est adæquata successionis fœmineæ, sed *sub conditione, si filij defecerint*. Falsum itaque est præsuppositum, quod æquè causa succedendi ponatur sive extent sive deficient filii, extantibus enim filiis, causa succedendi filiarum sub conditione ponitur; non extantibus verò, absolute.

§. XVII.

Accedimus tandem ad textum nostrum 2. F. 50. in quo itidem duæ istæ exceptiones reperiuntur; ait: *Filius patri succedit, & non filia: nisi ex pacto, vel nisi sit fœmineum*. Tunc enim in utroque casu, *succedit filia matri* in materno seu fœmineo, & *patri* quoque tum in fœmineo, tum ex pacto speciali investituræ. Quod ultimum tamen, & *patri*, non in omnibus codicibus reperiri Glossa hîc annotavit, itemque Andreas de Isernia. Sed quum hæc ita sint, quæstio subjicitur hîc, si filia concurrat cum masculo, veluti cum nepote ex filio, an excludatur illa ab hoc? Ratio dubitandi est, quod filia sit capax successionis in tali feudo & proximior est nepote. Sed ait textus: *Secundum quosdam succedit nepos ex filio solus, exclusâ filia*; rationem adjicit Glossa ex natura feudi generica, quam retinet etiam fœmineum feudum, quod fœmina scilicet & ejus proles non succedant nisi masculino sexu non existente. Verum hac de re vix videtur fuisse dissensus inter juris feudalis prudentes. Fuisse autem circa quæstionem propositam dissensum inter eos, oppidò patet ex clausula: *secundum quosdam*. Quare magis est, ut Cujacii lectionem ex MSS. restitutam sequamur, & quæstionem fingamus de nepote ex filia, quæ quæstio sequenti titulo latius tractatur & dissentientes memorantur ab ipso sc. consuetudinum harum compilatore qui posterior Gerardo & Oberto fuit.

§. XVIII.

Ait §. 3. *Similiter si quis investitus fuerit de feudo, ita ut ad fœmi-* 2. F. 51. §. 3.
nas

nas transiret (tum ex pacto investituræ tum ex natura singulari exinde quæsitæ) & duas filias tantum reliquerit, quarum una filium habeat, & altera filiam: utrum post mortem illarum masculus tantum feudum habere debeat? exclusa filia materteræ, consobrina. pergit: Secundum Gerardum masculus tantum succedit matri & materteræ mortuis, quæ commune feudum possederant: quam sententiam meliorem asserit Glossa, ex superiori ratione, cum non debeant succedere fœminæ in feudo, donec masculus superest ex eo, qui primò investitus est. Obertus contra, ait compilator; id quod ex titulo nostro quinquagesimo apparet, quum dicit Obertus: Secundum quosdam succedit nepos ex filia solus. quasi diceret, secundum meam verò sententiam non solus, sed cum consobrina succedit. Ratio Oberti ex natura feudi fœminei & pacti hujus petita videtur. Sed obtinuit sententia Gerardi, quæ etiam habetur 1. F. 6. §. 1. quod ex Fragmentis Ardizonis, vetustissimi consuetudinum feudalium interpretis confirmat Cujacius ibi. Pergit compilator: Et contra si filios ille habuerit v. g. duos, quorum unus filium, alter filiam habeat, utrum post mortem illorum masculus tantum feudum habere debeat, exclusa consobrinâ? idem juris est.

§. XIX.

4.
exc.

Atque hæc de successione filiarum atque descendentium ex sexu fœminino, quoad regulam & exceptiones. Quibus illa adhuc addenda, quod etiam Lege aut consuetudine locali introduci potest promiscua fœminarum in feudis successio, & introducta fuit in Regno Siculo & Neapolitano à Friderico II. Imp. ut patet ex lib. 3. Constit. Sicul. tit. XXIV. c. 2. servatâ tamen sexus prærogativa, ut mulieri masculus præferatur. De qua constitutione pluscula hîc Matthæus de Afflictis disseruit. In Galliæ plerisque locis liberos utriusque sexus in feudis succedere, testatur Cujacius 1. F. 2. §. pen. P. Rebuffus in Feudorum declaratione §. Septimò, ait: Hodie ex consuetudine generali hujus regni, sicut masculi succedunt. -- quia in dicto Regno feuda sunt redacta instar patrimoniorum. -- Licet in aliquibus partibus, ut vidi, non succedant fœmina extantibus masculis: sed tamen, quod supra dixi, est cõmunius. Id Alteserra ad virium degeneris seculi refert cap. 2. de Orig. feud. In Archiepiscopatu Coloniensi eandem consuetu-

fuetudinem vigere defendit Werner. Thummermuth *in relatione compromissi feudalis in causa Nobilitatis Archiepiscopatus illius contra Archiepiscopum & Capitulum Colon. in fundamento II. ex privilegiis per totum*: Sed & in vicinis Ecclesiasticis, Trevirensi, Leodiensi, Monasteriensi, unde brocardicum juris feudalis Germanici: *Krumstab schleust niemand aus. excepto AEpiscopatu Moguntino & Episcopatu Herbipolitano*: Sed & in secularibus quibusdam Principatibus foeminarum successionem in feudis admitti, ut in Ducatu Luzelburgico, Limburgico, Juliacensi, Geldrico, Clivensi, & Montensi, *idem in Fundam. III. Gædd. consil. 37. Vol. 4. conf. Wehner. Obs. voc. Krumstab. & Fuldisch Lehn. Extenditur hæc exceptio etiam ad consuetudines & pacta familiarum illustrium, speciales contra jus commune aut generalem Regni consuetudinem; sicuti & privilegia specialia civitatum & provinciarum valere contra jus commune, rescripserunt Diocletianus & Maxim. l. si non speciali. 9. de testam. quam allegatam fuisse à Carolo Borbonio contra aviam Henrici Regis, quum quæreretur, an usitata in familia illustri consuetudo valeret contra generalem regni consuetudinem, refert Duaren. in Consv. Feud. c. X. 8. conf. Ant. Contii Meth. de feud. c. 8.*

§. XX.

Denique sunt qui in feudo *conditionato*, quod vocant, hoc est quod tale servitium præstat, quod in foeminas æquè ac in mares cadit, quò etiam feudum *consuale* referunt, quod loco servitorum censum præstat, aut planè *francum feudum*, h. e. à servitiis liberum, sunt inquam, qui in his feudi speciebus foeminarum successionem regulariter admittendam statuunt. Sed *etssi ratio*, ob quam primitus exclusio foeminarum à successione feudali fuit introducta, & quam §. VIII. exposuimus, cesset hîc, non licet tamen firmiter inde concludere, quod etiam jus ipsum cesset semel constitutum. Retinent enim feuda naturam suam in reliquis, adeoque etiam in successione, etssi servitia vel penitus remissa fuerint. Hanc sententiam cum aliis plurimis à se relatis Schraderus P. 7:4, 11. Rosenth. 7:34, 11. Carpz. D. feud. 5:51. 52. defendunt. Contraria tamen sententia multos quoque habet defensores, & Cujacium quoque,

§.
reject.

D

que,

L.F.104.

que, atque fundatur in cap. extraordinario, *si cui militi*. 104. Sed *Præpositus*, qui vulgò dicitur, i. e. Jo. Antonius de S. Georgio, Patricius Mediolanensis & Ecclesiæ D. Ambrosii Mediolani Præpositus, in Academia Papiensi Doctor Juris Canonici & postea Cardinalis Alexandrinus, in *præludiis feudorum*, n. 5. ex Martino probat, quod hujusmodi constitutiones, quæ non reperiuntur in libello feudorum, tanquam extravagantes non admittæ, non sint allegandæ ad decisiones causarum per *Gl. in c. 1. infr. qui testes sunt necess. ad prob. nom. invest.* Et ex Baldo, quod tales constitutiones sint apocryphæ, in *c. 1. infr. de grad. succ. in feud. & c.* itemque ex Bartolo in *l. cum prolati. ff. de re jud.* Atque Duarenus *cap. X, 7.* ait, hanc opinionem non esse satis tutam, quia illa capita dicantur supposititia: ideoque nec reperiri in his libris. Cum quo conveniunt quæ Bitschius ad *2. F. 58.* notat, hoc, scilicet 58. cap. juris feudalis, ex iis quæ ordinaria sint & authentica habeantur, omnium postremum esse, reliqua verò quæ ex Ardizone & Alvarotto Cujacius & ex Cujacio D. Gothofredus adjecerit, ferè pro apocryphis haberi, & in vulgaribus editionibus non extare. Etsi denique Carpzovius *P. 3. C. 28. def. 12.* contrariam opinionem sequatur, id tamen ob auctoritatem & observantiam Scabinatus Lipsiensis, quam ex adducto ibi præjudicio veneratus tum fuit, contigit; at postea re penitiùs perpensâ animum mutavit, quum ex professo jus feudale tractaret. In eamque sententiam quoque inclinant Jcti Argentoratenses *Tom. 1. Consil. 36. n. 43.* Denique etsi ratio legis sæpe cesset, in quibusdam speciebus, propterea tamen lex ipsa nondum abolita dici potest: quemadmodum nec in ultimis voluntatibus causa falsa cessare facit legatum, *l. 17. π. de condit. & dem.* Denique additur huic regulæ successoriæ de descenditibus, quòd non ad certum gradum successio horum sit restricta, sed si per naturam rei fieri possit, usque in infinitum, ait: *Et sic usque in infinitum.* Qua in re cum Jure Civili itidem convenit jus feudale. *Rosenthal. Cap. VII. concl. 15. & 16.*

CAPUT

CAPUT III.

De Differentiis juris civilis & feudalis
in successione Collateralium.

§. I.

Tertia differentia juris civilis & feudalis circa successionem est, quod jure quidem civili Justiniano Collaterales utriusque generis, tam Cognati, quam Agnati admittuntur, secundum proprium cognationis gradum, per *Novell. CXVIII. 4.* Jure verò anteriori Romano, Agnatis demum non extantibus, Cognati ad successionem vocabantur, idque ad septimum usque gradum, quemadmodum Agnati usque ad decimum, §. 2. & 5. *J. de succ. cognat.* At jure feudali Cognati penitus excluduntur. *Ad cognatos enim ejus beneficium non pertinet, neq; beneficij successio,* ait *Obertus 2. F. 11.* & porro: *His (liberis) verò deficientibus, vocantur primò fratres cum fratrum pramortuorum filii, deinde agnati ulteriores.* Ubi tres classes seu ordines succedentium notandi, liberorum, fratrum & agnatorum ulteriorum, quorum quilibet habet suas regulas communes & potest etiam habere speciales, ad alteram classem non extendendas. Qua de re suo loco: *conf. supra c. 1. §. 6. sq.* Sed & in nostro textu in hanc sententiam verba hæc habentur: *Ex latere omnes per masculos descendentes, usq; in infinitum, si feudum sit paternum.* Et si autem textus hic de collateralium successione tandem etiam quid definiat, hinc tamen non nisi de descendendum successione adhuc videtur tractare. Ita enim verba: *Ex latere omnes per masculos descendentes in infinitum.* non extant in Editione Cujaciana, non ut *Hottomannus* putat ex incuria librariorum, sed ex fide *Codd. MSS.* quod rectè *Bitichius* arguit. Certè enim nec *Glossa* ea agnovisse videtur, quum ad vocem *paternum* annotat: *dixit paternum eo respectu, ut agnati removeantur à successione feudali donec nepos superest.* Igitur adhuc intelligit textum versari in terminis successionis non collateralium, sed descendendum. Sed & *Baldus, Andreas de Isernia,* atque *Matthæus de Afflictis* à verbis: *dum-*

D a

modo

3. diff.
Collat.1. R.
Cognati
excl.2. F. 11.
2. R.
de Fratrib.
patruel.

2. F. 50.

modo suis, quod si quis, &c. novum casum ponunt, in quo de-
mum de collateralium successione deciditur.

§. II.

Lim. 2. R.

Remotis itaque verbis istis, quæ à recentiori manu mar-
gini adjecta, in textum irreperunt, non debet usq; in infinitum
bis poni, sed textus ita sibi constat: *Et sic usq; in infinitum*, sci-
licet succedunt descendentes per masculos, quod tamen li-
mitatur, si feudum est paternum. Paternum autem feudum
quum non uno modo dicatur, nam & materno opponitur,
quod foeminarum successione admittit, paternum non item;
de quo cap. antecedente. Aliter paternum dicitur, quod pa-
ter acquisivit, vel etiam ab aliquo adscendente usque ad gra-
dum quartum, vel & septimum, i. F. 8. si acquirens est ulterio-
ris gradus, dicitur antiquum; quibus speciebus generatim
opponitur feudum novum, quod is, de cujus successione quæ-
ritur, primò acquisivit. *Rebuff. in declar. Feud. Div. 4.* Igitur
explicat Obertus, quo sensu vocabulum accipiat in hac re-
strictione, ait: *Paternum autem voco, quicumq; ex superioribus id ac-*
quisivit. Pariter & 2. F. 11. habetur: *Quod ita intelligendum est,*
si feudum sit paternum: hoc est, si fuit illius parentis, qui ejus fuit
agnationis communis. Si enim Titij avus de novo beneficio fuerit inve-
stitus, Titio sine legitimo herede masculino defuncto, ejus feudi successio
non pertinet ad ejusdem Titij patruum magnum, nec ad prolem ex eo
descendentem, imò revertitur ad dominum. Hoc est, in feudo no-
vo nepos succedit avo, sed avi frater non succedit nepoti. Pa-
ternum itaque feudum opponitur hîc novo, & sensus limita-
tionis est, quod descendentes primi acquirentis in infinitum
succedant ut fratres & patru, &c. scilicet in feudo paterno &
antiquo, non item in novo, quæ quarta est differentia Juris
Civilis & Feudalis.

§. III.

*4. Diff.
Agnati
alter.*

Sed quidquid sit, etsi vulgaris lectio judice *H. Pistoris 2. q.*
34, 21. retineatur, perinde nobis est; ad collateralium enim
successionem nihilominus deveniendum est, & eò devenitur
saltem in §. *dummodo scias.* quæ verba restrictiva exceptionem
regulæ prædictæ continent, quod scilicet collaterales omnes
per masculos descendentes succedant sibi invicem in infini-
tum,

tum, dummodo non excludantur à defuncti descendibus masculis: nam de foeminis seu filiabus constat ex 1. F. 8. §. 1. quod filiae regulariter non succedant, etiam in illo casu, quando vivo patre investituram cessione acquisiverint, si enim pater cedens moritur sine masculo herede, relicta illa filia investita, nihilominus revertitur feudum ad proximum agnatum per actionem feudi revocatoriam, 2. F. 26. §. Titius.

1. F. 8. 1.

§. IV.

Cæterum de hoc ipso argumento & hac limitatione casum hunc proponit textus: *Quodsi quis (Titius) habens beneficium, quatuor superstibus filiis (Primo: Secundo: Tertio: Quarto) decedat: & feudum ad unum solum EX DIVISIONE deveniat (sicut in casu cap. extraord. 93. five sit Primus five Quartus) & iste (five Primus five Tertius five quisquis ex illis quatuor, nullo linearum discrimine hinc apparente) superstibus filiis duobus; (Quinto & Sexto) vel tribus (addito Septimo) decedat, qui PATRUELES dicuntur: respectu liberorum ex reliquis fratribus natorum, octavo, nono, decimo, undecimo: perperam enim auctor hujus textus erroris inculatur, quasi patruelles pro fratribus dixerit,) & ad unum eorum (five Quintum, five Sextum five Septimum, sine linearum nescio quo jure) beneficium feudi EX DIVISIONE (neutiquam verò ex aliquo primogenituræ jure aut simili) perveniat: & similiter iste (Quintus fortè vel Sextus vel Septimus) superstibus filiis (duodecimo, decimotertio) qui Patruelles dicuntur (Sobrini) ad quorum unum (XII. vel XIII. XIV. XV.) feudum similiter pervenit: (per divisionem hereditariam) sicut etiam ex aliis superioribus vel primis fratribus (Secundo, Tertio, Quarto) supersunt masculi. (patruelles, octavus, nonus, decimus, XI.) Si ille, (veluti duodecimus) qui feudum habet, decesserit nullo filio relicto: An ad omnes (Collaterales à Secundo usque ad XIII.) vel ad quos (collaterales) perveniat, queritur? Respondeo: Ad solos & ad omnes (collaterales) qui ex illa LINEA sunt, ex qua iste (ultimò defunctus XII.) fuit, (adeoque ad fratres defuncti XIII. XIV. XV. juxta communem regulam: non item ad agnatos ultteriores, Patruos aut patruelles:) Et hoc est, quod dicitur, Ad proximiores pertinere. (fratres scilicet defuncti) Isti verò proximiores esse dicuntur*


Casus
§. dummodo
do scias.

Qu.
Decis.

R. dec.



tur (fratres inquam,) respectu aliarum linearum (Secundi, Tertii, Quarti, quibus posteriores agnati continentur.) Sed omnibus ex hac linea deficientibus, omnes alia linea (à Secundo usque ad XI.) æqualiter (sine prærogativa linearum) vocantur ad successionem ultimò defuncti ex ista linea. Hæc est vera & genuina casus propositi figuratio & quæstionis decisio, qualem & veteres approbarunt, & Baldus atque Matth. de Afflictis expresserunt, atque hoc interpretamentum adjiciunt, quod agnati isti posteriores æqualiter succedant, si sint in gradu æquali, aliàs secundum graduum proximitatem. Frid. Schenk Baro à Tautenburg in hoc caput: Sed in hac successione collateralium primò vocabuntur proximiores, qui fuerint de linea defuncti, quibus non extantibus, alij ex aliis lineis ÆQUALITER vocabuntur, quod intellige secundum Baldum, modò sint pari GRADU: nam alioqui secundum GRADUS prærogativam successio fiet, secundum Jacob. à Belviso. Illustris Struvius Synt. Feud. c. IX. §. VII. n. 7. ait: Licet d. 2. F. 50. dicatur, quod omnes aliæ lineæ vocentur æqualiter, istorum tamen verborum nullus alius est sensus, quàm quod differentia & proximitas linearum non amplius observetur, sed omnes lineæ aliæ æqualiter sive pariter & sine prærogativa admittantur: non verò hoc extendendum ad proximitatem gradus: quippe quum ibi solum de lineæ & non de gradus proximitate agatur: quam gradus proximitatem observandam esse alibi indistinctè traditur, 2. F. 37. 11. in fi. verb. agnatus proximus. 24. §. pen. 26. §. Titius. hæc ille, qui quidem certo modo proximiorē lineam agnoscit, de quo postea. Schema tale formari poterit:



*Opinio de
proximitate
linearum
exam.*

§. V.

Ex hisce omnibus satis jam conspicitur, non esse admittendam opinionem istam & fictam differentiam in successione

ne

ne feudali & civili in hoc casu, quasi hoc speciale & præcipuum sit, quod proximitas non tantum ratione gradus, sed vel imprimis ratione lineæ aestimetur, adeò ut unius lineæ censeatur esse proximior & præferatur lineæ alterius. Primò enim nihil speciale hîc habetur, neque proximitas linearum in hoc textu fundatur, neque tertio proximitas ex linea collateralis quoquam modo aestimatur: denique nec linea lineæ hîc præfertur, nisi recta collateralis, id quod dubio caret. Atque imò solius gradus proximitas in lineâ collateralis cernitur hîc, & reliqui agnati in reliquis lineis non, nescio quo, jure lineali, excluduntur, neque ex lineæ hujus vel alterius collateralis prærogativa, sed ex regula successionis communi, quâ descendentes excludunt collaterales: igitur consequens est & in casu proposito, quod descendentes Primi vel Secundi vel cujuscunque extinctis, agnati sine ulla linearum differentia aut prærogativa vel ordine, sed æqualiter succedant, ita ut nulla linea alteram excludat, aut prærogativa ac proximitas inter lineas ipsas obtineat, sed simpliciter ad gradus proximitatem in reliquis lineis collateralium peræquè & indistinctè respicitur. Unde regula ex hoc textu hæc conficitur: Quoties defunctus agnatus sine descendentes masculis decessisse dicitur, toties reliqui agnati sine prærogativa linearum, juxta regulam & gradus proximitatem succedunt, atque ut Matth. de Afflictis ait, omnes lineæ possunt vocari ex jure Edicti successorij, servatâ tamen gradus prærogativâ. Regula hæc jam tum supra 2. F. 37. exposita est: Ad agnatum proximiorum feudum pertinebit, si paternum fuerit, eodem prorsus observando, quantum ad ordinem gradus, qui continentur in legibus, civilibus scilicet, supra cap. 1. §. ult.

§. VI.

Ex his porrò conficitur, successionis speciem quam LI-
NEAM quidam vocant, tam esse incognitam juri feudali
communi, quàm juri civili Romanorum, nec ullum ex hoc
solenni neque ex alio Juris feudalis communis textu locum
produci posse. Certè enim nullus hîc specialis casus propo-
nitur, quasi per observantiam ex diversis hereditariarum divisio-
num actibus stabilitam, feudo uni ex filiis defuncti assignato, linealis
successio sit introducta, de qua Feudista assereret, quod soli, qui ex linea
sunt,

Successio li-
nearis an
& qua?

sunt, præferantur, & quod hi proximiores sint respectu alienarum linearum. Enimverò nihil quicquam hîc de observantia speciali, sed de jure & natura successionis feudalis in universum, ubi vel defunctus plura feuda liberis reliquit, vel ut Matth. de Afflictis casum ponit, ubi unus feudum, alii res allodiales in divisione obtinuerunt. Neque enim quicquam hîc de feudis individuis, sed de talibus, in quibus plures successores simul admittuntur; in verbis: *ad solos & ad omnes*. Denique quod hîc ex linea ultimò defuncti descendentes præferuntur collateralibus, nihil penitus specialitatis continet, quum perpetua regula sit, descendentes excludere collaterales. Quare non linea quâ linea hoc efficit, sed quod eâ descendentes contineantur: pro collateralium itaque successione planè nihil facit linea. Quicquid igitur hîc de speciali observantia, de Jure primogenituræ, de extensione ad collaterales diversarum linearum dicitur, sunt mera præsupposita interpretibus veteribus incognita, multò minùs probata, sed violenter per præconceptas opiniones textui illata.

§. VII.

Istud quidem verum est, & antea ostensum, quòd etiam de collateralium successione hîc quærat, sed non omnium promiscuè, sed tantum eorum, qui ex eadem linea sunt cum ultimò defuncto: veluti ut ad superius schema digitorum intendamus, XV. defuncto sine descendibus, sine dubio succedit Sextus & Septimus, hoc est, defuncti patris, exclusis Octavo, Nono & reliquis: ratio ac vis non in linea consistit, nam idem obtinet in communi succedendi jure etiam in allodialibus, sed in *gradus* proximitate: patris enim defuncti, fratris sui filio succedens, proximior est gradu, quàm patris magni, Secundi, Tertii &c. filii, inter sese patrueles, atque hoc idem juris obtinet in allodiali quoque successione; adeoque prorsus nihil hîc de nescio quâ linearum successione continetur, sed quod lineæ mentio fit, non ex vi lineæ oritur, sed quia proximitas *gradus* in illa linea continetur. Optimè Jac. Alvarottus *ad h. t. n. 4.* notat: *Prima causa est descendentium, & admittuntur usq; in infinitum, donec aliquis ex ipsis extat; nullo autem extante, tunc ad collaterales*

vales agnatos devenitur, quorum successio similiter ad infinitum extenditur, quando feudum est paternum, ut hinc, & in cap. 1. de gradib. Et istis casibus circa successiones istas servatur idem ordo, qui in legibus continetur, c. 1. an ille qui interf. Neque verò mysterium aliquod trinæ devolutionis feudi in casu proposito est quærendum, quippe quæ ex contingentia facti provenit, atque idem fuisset, si semel aut bis id contigisset; sed hæc est vera mens atque intentio Oberti nostri, quum antea regulam de descendentibus in infinitum succedentibus proposuerat, subjicit hanc limitationem, ut hinc non tantum attendendi sint descendentibus primi acquirentis, sed potissimum & præcipue proximus gradu ultimò defuncto feudi possessori; itaque defuncto XV. in superiori schemate, & extinctis filiis Quinti, reliqui Sextus, Septimus, Octavus, &c. respectu primi acquirentis omnes invicem sunt *patrueles*, & in pari gradu, sed hoc ait non sufficere, sed proximitatem debere æstimari ratione ultimò defuncti, & ita tantum consequenter accidit, ut linea Primi excludat reliquas lineas, sed ut sæpissimè dictum, non vi lineæ, sed *gradus*. Neque error est aut vitium sermonis, quod Obertus patruelium hinc facit mentionem, quod superius jam monitum.

§. VIII.

Atque ex hinc decisio quæstionis vulgò jactatæ dependet, *Utrum in feudis non tam ultimò possessori, quam primò acquirenti succedatur?* quæ rectè negatur ex hujus textus auctoritate; cum quo consentit Gerardus l. F. 14. ibi: *Fratres vel nepotes per investituram patris & avi in beneficium succedunt defuncto.* Causa quippe adæquata & immediata successionis est proximitas gradus inter ultimò defunctum vasallum, & inter agnatum successurum: neutiquam verò proximitas inter hunc & primum acquirentem, aliàs in casu proposito succederent omnes patrueles promiscuè: etsi istud facile concedatur, causam successionis remotam & mediatam atque radicem juris hujus in primo acquirente positam esse. Quam sententiam, ut à plerisque interpretibus approbatam & usu fori receptam contra Hottomanni novas speculationes propugnat *Rosenth. cap VII. concl. LVII. conf. Illustris de Eyben Elect. J. Feud. c. VII. § 8 n 15. & §. 10. & 12.*

Qu.

E

§. IX.

§. IX.

Ifernias
expl.

Fundamentum igitur linealis successionis quum in nostro textu nullum penitus existat, necesse est, ut omnia tanquam in aëre superstructa corruant. Planè Andreas de Ifernias ad hunc textum *n. pen.* hæc notat: *Proximiores agnati succedunt: sed illis deficientibus, vocantur omnes alia linea equaliter, i. qui sunt in proximiori linea post illam, equaliter admittuntur. ff. de leg. 2. cum ita. §. in fideic. C. de V. S. l. fi.* Atque unicus est, quod sciam, inter veteres, qui ita loquitur, & vim verbis ac sensui infert. Non enim salvo sensu genuino potest proximitas cæterarum linearum extorqueri ex textu, sed *graduum* tantum, id quod constat primò ex particula adversativa, quæ casum diversum à priori infert; at prius dixerat: *ad solos & omnes qui ex illa linea sunt ex qua iste fuit.* ratio, quia hi proximiores gradu sunt. mox diversum casum proponit: *Sed omnibus ex hac linea deficientibus, omnes alia linea equaliter vocantur.* igitur non in priori casu secundum linearum diversitatem, sed *equaliter*, non attentâ proximitate lineæ, quod alterum receptæ interpretationis est fundamentum, ex vocabulo *equaliter*, quod excludit prærogativam inter lineas. Sed more suo Ifernias obscurius hæc dixit, quæ perspicuè magis eloqui potuisset, neque enim animus ipsi fuit, hinc aliquid singulare præ antecessoribus suis statuere: id quod dilucidè constat ex subiecta ab ipso *l. 32. §. fi. de leg. 2.* in qua nihil de prærogativa linearum, sed *graduum* tantum; ait enim Modestinus: *In fideicommissio, quod FAMILIÆ relinquitur, hi ad petitionem ejus admitti possunt, qui nominati sunt, aut post omnes eos extinctos, qui ex nomine defuncti fuerint eo tempore, quo testator moreretur, & qui ex his primo gradu procreati sint: nisi specialiter defunctus ad ultiores voluntatem suam extenderit.* ubi Glossa ait: *Et sic post nominatos admittuntur omnes, qui proximiores sunt in gradu sive agnationis sive cognationis.* Quod igitur Ifernias hinc dicit de *proximiori linea*, id de gradu intellexit, de quo *d. l. 32.* & pariter altera ab eo in hanc sententiam allegata *l. fi. C. de V. S. ibi: & hoc videlicet gradatim fieri.* Et certè si novam & peculiarem sententiam de successione linearum introduxisset Ifernias, subsequentes Commentatores notassent. At Præpositus, qui Iferniam perpetuò allegat, hinc nihil nisi pristinam

affere

affert interpretationem: *Nota*, ait, quod ubi plures agnati procedentes ex diversis lineis adspirare volunt ad successionem feudi alicujus vasalli agnati mortui, primò vocandi sunt GRADATIM ad dictam successionem in linea communi cum mortuo, & si nullus ex ea linea superest, tunc transferendum est ad alias lineas, servatâ GRADUUM prærogativâ, ut hîc. & in §. I. de grad. succ. in feud. Equidem Matthæus de Afflictis verba Andreæ de Isernia recitat, suppresso ejus nomine, in summa hujus §. dummodo. ibi: *vocantur omnes alie linea superiores equaliter. i. qui sunt in proximiori linea. propter illam equalitatem admittuntur ad successionem.* Sed mox incommodam hanc loquelam n. 4. explicat rectius: *Nota, quod omnes linea possunt vocari ex jure Edicti successorij, servata tamen GRADUS prærogativa: sed qui erunt in eadem linea, equaliter vocabuntur sive equaliter succedunt.*

§. X.

Ut igitur auctoritas Iserniæ parùm ad rem facit, ita nec *Ratio dis-*
ratio, quæ pro ista opinione adducitur, quicquam stringit; ea *sens.*
est: *Si necesse est in feudis quo ad unum deferuntur, extinctâ una linea, succedere unum quendam ex linea diversa: & verò contingere potest, ut pares gradu sint agnati ex diversis lineis (quemadmodum in familia Archipalatina contigit superiori seculo, dum morte Ottonis Henrici Electoris extingueretur linea Ludovici Barbati, ubi Fridericus III. ex Simmerensi linea & Georgius Johannes ex Veldentina pares gradu erant:)* ne hoc absurdum adstruendum sit, tali casu, ubi feudum apertum nondum est, lineas sibi invicem impedimento esse in successione feudi individui, necessario asserendum erit, extinctâ una linea, quod etiam in hoc exemplo contigit, non minus attendi lineam proximam collateralem, præferriq; aliis remotioribus, quàm id ipsum observaretur, dum supersunt ejusdem linea agnati, qui indubiè præferuntur aliarum linearum agnatis, præcluso respectu gradus. Primò in hoc argumento præsupponitur, hîc agi de feudo aliquo individuo, quod præcisè ad unum solum devolvi debeat. *At μέγα λίαν αίτημα,* ut ex superioribus jam abunde constat & litera ipsa effatur, interpretesque consentiunt, per divisionem scilicet fraternam pervenisse feudum aliquod ita ad unum, ut reliqui fratres vel alia feuda, si qua reliquit defunctus, quorum eadem erit ratio, vel allodia, vel æstimationem accepisse intelligantur.

E 2

§. XI.

§. XI.

*Resp. ad de-
duct. ad abs.*

Posito tamen per se tali casu de feudo individuo, & ad unum solum devolvendo & de concurrentia quoque agnatorum in pari gradu diversarum linearum, qualis ex Serenissima Familia Archipalatina Rudolphina allegatur, propterea tamen ne lineæ sibi impedimento sint invicem, necessariò afferendum esse, lineam proximam præferendam remotioribus. Nam hæc consequentia certè ex nostro textu, ob diversitatem casus & decisionis neutiquam deduci potest, sed secundum nostrum textum & ejus rationem, pares gradu agnati si uterque capax esset successionis, ita succederent in feudo individuo, ut aut omnes in solidum succederent, quemadmodum ita ante A. B. obtinuit etiam in Electoralibus, sicuti Ottonis Ducis Bavarix filiis Ludovico Severo, & Henrico Electoratus simul attributus fuit per decretum Rudolphi Imp. A. 1275. aut ut alter æstimationem portionis suæ hereditariæ accipiat, aut alia feuda vel allodialia. Quod si verò jure primogenituræ fortè introducto, quod tamen hic textus ignorat, successio inter agnatos remotiores diversarum linearum, ejusdem tamen gradus, controversa non ex ficta linearum proximitate, sed ex ætatis & annorum ratione atque Senioratus jure convenienter decidi potest.

§. XII.

Quemadmodum etiam revera exinde decisa fuit tempore Friderici III. Electoris, quippe natus erat A. C. 1515. Wolfgangus verò A. C. 1526. & Georgius Johannes adhuc minoris erat ætatis, non verò ex lineæ prærogativa; aliàs enim tota ista reservatio casus tertii, quoad successionem collateralium, ut Imperatoris & Electorum decisioni eventualiter submitteretur controversia fortè emergens, nullum locum invenisset, nec ulla dubitandi ratio adfuisset: quia autem hac de re fuit non tantum dubitatum, sed etiam non transactum; verùm decisioni Judicum competentium res tanquam dubia, reservata, necessariò sequitur, quòd in hac ipsa Serenissima Familia, & in illa ipsa Transactione Heidelbergensi, quæ communiter appellatur, linearum prærogativa pro fundamento & decidendi ratione ab ipsis Serenissimis paciscentibus & eorum

Consi-

Consiliariis habita neutiquam fuerit. Adeoque facillimè eliditur prætenfa deductio ad absurdum per exceptionem insufficientis enumerationis, *ne scilicet si plures essent ex diversis lineis pari gradu, dicendum sit, deficere successionem legitimam agnatorum, familia nondum extincta; Lex enim vetat successionem dividi, Ergo aut nulla erit successio, aut, quod sustinendum est, deferetur uni virtute lineæ.* Respondeo, datur tertium, deferetur uni virtute ætatis & jure Senioratus, si pares gradu concurrant, & uni præcisè successio deferatur, reliquis exclusis hæctenus.


§. XIII.

Porro nec hæc Feudistæ, ut loquuntur, mens est, quando, quid sit: *ad proximiores pertinere*, exponens ait: *Isti verò (fratres defuncti) proximiores esse dicuntur respectu aliarum linearum, quasi semper & perpetuò anterior linea excludat sequentem; nec enim de hoc unquam cogitavit Obertus, sed ut jamtum satis inculcatum est, quia in hac linea patrum constituuntur, in reliquis patrum magni atque ulteriores agnati.* Ex uno itaque falso præsupposito, nec concesso, nec probato, sequuntur plurima alia, & imprimis fallens ista regula: *Quamdiu feudum uni tantum potest obvenire, tamdiu prioritatem lineæ cujuscunq, sine gradus proximioris respectu, in successione attendi.* Contra loquitur textus & saniores interpretes omnes. Sed & perperam exinde ad successionem in Regnis, Principatibusque arguitur, nec enim Regna regulariter feuda esse solent, nec Principatus omnes moribus hodiernis individui sunt: & si qui sunt, certè ex nostro textu probari nunquam poterit, in successione in his lineam ante gradum attendi, sed gradum in linea eaque non tantum speciali & priori, sed & in quavis alia remotiori æqualiter. Hoc tam certum est, quàm quodd certissimum, ac nemo nisi præconcepta opinione immerfus pervicaciter negare poterit.

§. XIV.

Planè alius casus & qui *ἄλλο τὸ πρῶτον* in nostro textu expressus haut cernitur, est quem Franc. Sonsbeccius *de Usu Feudor.* P. IX. concl. 7. n. 112. proponit, itemque Dn. Struv. *Synt. Feud.* c. IX. §. 7. n. 3. sqq. ait Sonsbeccius: *Si moriens relinquit solum fratrum nepotes, illi succedunt simul in capita, & non in stirpes.* Et si

esset ex magnis patruis aliquis, qui in eodem gradu cum illis esset, hoc casu, licet jure civili simul succederent, tam **PLUTO** in feudis, quod magnus iste patruus excluderetur à fratrum nepotibus, & non solum ab illis (ut gradu proximioribus) sed etiam à pronepotibus & omnibus descendantibus ex illa linea per textum notabilem c. 1. §. paternum. usque ad fin. De nat. success. feud. qui in effectu velle videtur, omnes qui sunt illius linea qui obiit, **DESCENDENTES** praeferi ex alia linea adscendentibus. At defuncti linea se solum extendit ad **PATREM** (defuncti) adscendendo, & rursus descendit ad fratrem, ergo patruus vel patruus magnus vel propatruus defuncti & similes excluderentur: nam supra patrem rursus alia linea auspiciatur. Vocat autem aliam lineam illam, quae est extra lineam ex qua is est, qui obiit. haecenus ille, Schema tale fuerit:



§. XV.

Hic quaeritur jam de illis qui in eodem cum defuncto gradu sunt, veluti in quarto Patruus Magnus & pronepos ex fratre: vel in tertio, ut Patruus Sempronius & Sejus ex fratre nepos defuncti, an pariter ad successionem defuncti Mævii admittantur. Ratio dubitandi est ex regula communi superius stabilita Cap. 1. §. IX. quod in casibus in jure feudali non decisus, jure civili utamur, quamque rationem non dubitandi sed decidendi esse contendit Rosenthalius Cap. VII. concl. 57. n. 17. ad Sonsbekii rationes respondens, & in suam sententiam lit. n. Iferniam, Bald. Alvarottum, Schenkium, Zasium, Cujacium,

Cujacium, Egvinar. Baronem, Forsterum & plurimos alios Dd. laudat, & mavult textum nostrum cum communi & recepta interpretatione aliquantulum explicare, & pauca verba subintelligere, quàm contra jura communia, quibus alii textus successionem feudalem, quoad graduum computationem faciunt similem, absonam succedendi rationem admittere. Cùm enim in eo omnes consentiant, quod quando feudum ex divisione ad unum filiorum venerit, alii non succedant, donec ex ista linea, vel eo, cui in divisione adjudicatum est, aliquis superfit; id tamen ita intelligendum esse secundum communem sententiam, nisi ex ista linea superstites illi ultimo defuncto etiam sint collaterales, & ex altera linea nemo eos gradu antecedit. Contra verò Sonsbeccium Struvius sequitur & adversus Rosenthalium defendit. Quæstio eò redit, quum textus noster hunc casum non exprimat, an interpretatio extensiva locum inveniat? id verò ex ratione decidendi casus in textu expressi habendum est: hæc verò partim est, quòd proximior gradu excludat remotiorem, ergo Sextus excludit octavum & reliquos in successione XV. juxta prius Schema: itemque, quòd descendentes semper excludant Adscendentes defuncti: de hac verò jam porrò quæritur, an non inter præcisè defuncti descendentes & adscendentes in linea rectâ, sed etiam in linea adscendentium, & descendendum transversali hoc obtineat, & quòd descendentes etiam ex fratre excludant adscendentes etiam ex transverso, etsi in eodem gradu cum descendentes. Atque cur primus Sonsbeccius hanc ampliativam interpretationem amplexus fuit, in his verbis exponit: Et quòd ejus sim sententiæ, moveor ex d. textu c. 1. §. patern. vers. dummodo scias. de nat. succ. feud. Ubi non tam sollicitè dixisset, dummodo scias. Præterea moveor ex verbis d. text. ibi: ex latere omnes per masculos DESCENDENTES usq; in infinitum. Non enim inquit Adscendentes. quòd est considerandum. Rursum moveor ex eo, quòd ibidem inquit; cum quæreretur in d. c. 1. §. patern. vers. respondeo. ad quos in linea transversali feudum descenderet: Respondeo, ad solos & ad omnes qui ex illa linea sunt, ex qua iste fuit. quæ verba & otiosa
ibi

„ ibi posita non dicemus, sed bene notanda in casu isto specialissimo, qui contingere sæpe posset. hæc ille.

§. XVI.

Quamvis autem interpretatio communis est restrictiva, atq; idè extensivæ præferenda regulariter, nisi ratio, sub quam venit casus, ad quem extensio facienda est, sit causa unica & adæquata, quæ LLatorem movit, ut docet H. Grotius *lib. 2. de J. B. & P. c. XVI. §. 20, 2.* atque secundum communem & restrictivam interpretationem utique nulla proximitas lineæ admittitur, quemadmodum etiam re ipsa nulla datur de jure feudali communi. multò minus in hoc textu maximopere urgetur ab Oberto, sicuti jam antea pluribus fuit demonstratum: Nihilominus tamen non exinde sequitur, *gradus proximitatem perinde ut jure civili in nostro textu attendi.* Sed utique exceptio, adeoque jus singulare hîc continetur, ut verba: *dummodo scias. & Respondeo, &c.* satis innuunt. Nimirum, ut antea jam dictum, descendentes secundum Sonsbeccii interpretationem ita considerantur, & cum hoc effectu, ut excludant adscendentes etiam in linea transversali, respectu ultimò defuncti. Quæ sententia utique non displicet fundata in differentia prima Juris Civilis & Feudalis & hujus regula, de qua *cap. 11.* & indiget hæc controversia ubi per observantiam non est decisa, decisione LLatoris Potestatis.

§. XVII.

Verumenimverò etsi Sonsbecciana decisio recipiatur, propterea tamen neutiquam nova species successionis linearis ex hoc textu extorqueri potest, ut primâ linea extincta, deinceps reliquæ lineæ singulæ sine omni *gradus proximitatis* attentione secundum seriem suam & prætersam proximitatem, una post alteram in infinitum succedat. Neque enim hæc consecutio ullo modo probata est, neque unquam probari potest, nec ab ipsis Sonsbeccianæ sententiæ addictis approbatur. Sæpe laudatus & de jure feudali non minus, quam de omni Jurisprudentia optimè meritus, Struvius, sententiam illam quidem sequitur, *sed, inquit, de proximitate lineæ, quæ d. 2. F. 50. requiritur, res non est liquida.* Scilicet nec istud liquidum est & proba-

probatum, quod lineæ proximitas d. 2. F. 50. requiratur. Et mox n. 4. restringit oppidò hanc definitionem ad lineam duntaxat specialem primam; ait: *Quod si verò deficient descendentes ex illa lineæ speciali, reliquæ lineæ sunt pares, & neutra præ altera habet prærogativam, d. 2. F. 50. fin.* Et n. 7. pergit in eandem sententiam: *Atq; hinc si fortè lineæ defuncti deficiente ex duabus aliis lineis (quæ tamen & ipsæ à primo acquirente veniunt) adsint ex defuncti patruo magno nepotes, & ex altero patruo magno pronepotes; nepotes, utpote gradu propinquiores defuncto, excludent pronepotes: Neq; hinc locus est juri representationis, quod ultra defuncti fratrum filios non locum habet, & c.* Ex quibus oppidò conficitur, non dari ex hoc textu successionis speciem, quæ ex lineæ proximitate vim suam obtineat, sed saltem ex natura speciali successionis feudalis *descendentium* qui adscendentes omnes excludunt, & ita non primariò ac per se, sed per accidens & consequenter tantum nomen & ratio lineæ hinc habetur. Ubi ergo nulli amplius sunt descendentes, qui adscendentes etiam transversæ lineæ excludant, ibi & ratio illa cessat, atque sic nulla linearum ex hoc textu datur successio; id quod erat demonstrandum.

CAPUT IV. De Successione Lineali.

§. I.

HÆc de *successione feudali*, quæ communiter *hereditaria* dicitur, eò quòd ad heredes feudales secundum proximitatem *gradus*, h. e. ad descendentes atque agnatos, deferatur; quæque Juris Feudalis Communis sive Longobardici est, postquam hoc jus per se particulare, instar Juris Justiniani, figuram Juris Communis in Germania suscepisse cernitur. Cæterò quin haud temnenda est H. Grotii doctrina *lib. 2. de J. B. & P. c. VII. §. 21.* dicentis: *In iis autem regnis quæ primitus data sunt in feudum (par ratio Principatum regali dignitate fulgentium sub feudali nexu) ab eo qui plenè dominus erat, sequenda erit lex successionis feudalis; non semper Longobardica illa, quam per-*

*Successionis
feud. spe-
cies:
I.
Hereditaria.*

F
scriptam

Scriptam habemus, sed quæ in gente quâq; recepta fuit, quo tempore data est prima vestitura. Nam Gothi, Vandali, Alemanni, Franci, Burgundiones, Angli, Saxones, nationes omnes Germanicæ, quæ partes optimas imperij Romani bello occuparunt, suas singuli leges aut mores de feudis, non minus quàm Longobardi habuerunt. Hinc, quum Longobardi & Franci inter gentes Teutonicas tum armis tum legibus pollerent, contigit, ut successio feudalis & feudorum natura divideretur in feudum Lombardicum & Francum, sive (quod idem est hîc) Successio in successionem juris Longobardici & aliam juris Francici. Successio juris & feudi Longobardici hætenus fuit adductum textus propositi exposita; quæ aliàs à Dd. etiam vocatur successio in feudo plano, in feudo de tabula, sed & juris Germanici esse Goldasto lib. 2. Senior. c. 3, 1. non malè videtur.

sive
Lombardi-
ca.

§. II.

Successio autem in feudo juris Francici, itemque in feudo Quaternato est, in qua solus primogenitus succedit inter fratres, ut præter alios docet *Math. de Afflictis ad textum nostrum pr. n. 45.* Vocatum autem fuit apud Siculos & Neapolitanos Quaternatum feudum, quod Regiis quaternionibus inscriptum & nobilitatem confert; Quaterniones vocant protocolia & acta publica Curiarum Regiarum, ut observat H. Speelmannus in Glossario, & ab Anglis *Recorda* vocari: Communiter hodie appellatur LINEALIS successio, quâ jus succedendi restringitur ad singulas lineas filiorum primi acquirentis, ut semper prior linea subsequentem, jure primogenituræ excludat. Otho Frisingensis l. 2. c. 9. ait: *Mos est in Burgundia, qui ferè in omnibus Gallia provinciis servatur, quod semper seniori fratri, ejusque liberis paterna hereditatis cedat autoritas. Quod dictum fuit, jure Francorum vivere.* Vid. P. de Vincis. Hæc porrò restringitur ad sexum masculinum & Agnatica linealis successio vocatur, cui contradistinguitur Cognatica, quâ & foemini sexus personæ ad successionem admittuntur, idque iterum dupliciter vel deficiente agnaticâ, vel etiam sine differentia sexus, ita ut ob sexum aut ætatem nunquam transeat de linea in lineam, quæ successio Castiliana nonnullis appellatur, & in Jure quoque Majoratus cernitur, de quo Mo-
lina

Francica
sive
linealis.

lina de primogenit. Hispan. De hac & Argentæus lib. VI. Hist. Brittan. c. 4. intelligendus: In successione liberi primogeniti, sive sint masculi aut femella, & similiter liberi secundogeniti, si primogeniti absq; liberis ex proprio corpore decesserint, in successione feudorum jure primogenituræ representant personas patrum suorum, & veniunt ad talia jura successioneum & primogenituræ, sicut eorum patres, si viverent, eorum patruos, avunculos excludendo, secundum generalem & notoriam consuetudinem, tam in successione per rectam lineam, quam à latere obvenientibus: & de usu & consuetudine antedictâ, filia succedit in feudis, sive sint Ducatus, Comitatus, Perriæ, aut Baronia, quantumcunq; magni & nobiles, & quod ita evenerat in Comitatus Artesie, Campania, Tolosa, & Britannia. Denique & istud bene monet H. Grotius d. l. 2:7, 24. posse & alios successioneum modos introduci, & introductos diversimodè observat. Similiter itaque potest & mixtus successioneum modus dari, partim ex lineali, partim ex hereditaria feudali, utraque scilicet agnatica, ita ut ratio linearum inter fratres & eorum descendentes habeatur, inter ultiores agnatos porrò sola graduum proximitas respectu defuncti ultimi possessoris.

§. III.

Cum igitur jure Communi feudali, h. e. Longobardico in Regno quoque Teutonico communiter recepto, salvo tamen cujusvis provinciæ jure proprio, incognita sit linealis successio; & Jure Francico demum per primogenituræ introductionem & prohibitam divisionem cœperit, postquam feuda jam ad heredes transmitterentur; ita ut etiam in iis provinciis, quæ jure Longobardico feudali usæ fuerant, in imperium Francorum redactæ feuda juris Francici receperint: dispiciendum nunc est, an & quatenus ista linealis successio & primogenituræ jus in Germaniæ imperio introducta sit? Atque eam ante Aureæ Bullæ à Carolo IV. Imp. factam promulgationem vix viguisse, rectè, ni fallor, Arnoldus Engelbrechtus *de Successione, in Electorat. §. 78. sqq.* asserit, & ab individuitate alicujus feudi ad jus primogenituræ & successioneum lineæ perperam argui, docet. Et si itaque Electoratus etiam antea fuerint individui, successioneum tamen & juris eligendi capaces sese unà omnes filii Electorum habebant, atque exercebant:

Success. linealis an in Germ.

sed & antiqua controversia inter patruos atque nepotes variè iterum agitata, interdum & alternativa successio pactioibus initis turbas publicas sedavit, donec tandem Carolus IV. Imp. illas controversias per Bullam & introductionem juris primogenituræ inter fratres Electorales, simul ac semel decideret.

§. IV.

A. B.
c. 7.

Verba Bullæ cap. 7. hæc sunt: Ne inter eorundem Principum secularium Electorum FILIOS super jure, voce & potestate præfata futuris temporibus scandalorum & dissensionum possit materia suscitari, & sic bonum commune periculosis dilationibus impediri, futuris, auctore DEO, cupientes periculis salubriter obviare statuimus, & Imperiali auctoritate, præfenti lege perpetuis temporibus valitura, decernimus, ut postquam iidem Principes Electores seculares & eorum quilibet esse desierit, jus, vox & potestas electionis hujusmodi ad filium suum PRIMOGENITUM, legitimum, Laicum: illo verò non extante, ad ejusdem PRIMOGENITI PRIMOGENITUM similiter laicum, liberè & sine contradictione cujuscumque devolvatur. Si verò primogenitus hujusmodi, absq; heredibus masculis legitimis, laicis ab hac luce migraret, virtute præfentis Imperialis edicti, jus, vox & potestas electionis prædictæ, ad SENIOREM FRATREM laicum, per veram paternalem lineam descendantem, & deinceps ad illius primogenitum laicum devolvatur. Et talis successio in primogenitis & heredibus Principum eorundem, in jure & potestate præmissis, perpetuis temporibus observetur. Et cap. XXV. exceptionibus subjicitur regula prædicta: Primogenitus FILIUS succedat in eis, sibiq; soli jus ac dominium competat: nisi fortè mente captus, fatuus, seu alterius famosi & notabilis defectus existeret, propter quem non deberet seu posset hominibus principari: In quo casu inhibita sibi successione SECUNDOGENITUM si fuerit in ea progenie; seu alium SENIOREM FRATREM vel consanguineum, laicum, qui paterno stipiti in descendanti recta linea proximior fuerit, volumus successurum: qui tamen apud alios FRATRES & SORORES se clementem & pium exhibebit continuo, &c.

v. 25.

§. V.

interpr.

Ad ritè interpretandam hanc constitutionem, rectè advertit laudatus Engelbrechtus §. 118. tres hîc esse vocationes: Descendentium; Fratrum; & Agnatorum. In linea descendantium

dentium Imperatorem anxie & accuratè disposuisse lineas subordinatas speciales secundogeniti, tertio geniti, &c. ultimo autem omnium, agnatorum Seniore & proximiorum vocasse. En confitentem reum! cujus postea *νευσφύγιον* §. XI. exigemus. Habet porrò optima hæc distinctio trium succedentium ordinum fundamentum in ipso Jure divino Hebræorum, quo & quartus adjicitur, Num. XVII. 8. ait LLator: *Homocum mortuus fuerit absq̄ filio, ad filiam ejus transibit hereditas: si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos, quod si & fratres non fuerint, dabitur hereditatem fratribus patris ejus: sin autem nec patruos habuerit, dabitur hereditas ei qui ipsi proximus est.* Vocantur primò descendentes, secundum sexus prærogativam: deinde fratres: post patruos: denique agnati reliqui. Igitur jam satis patet, malam fieri consecutionem: *Si Imperator in fratrum successionem voluit lineæ prærogativam sive jus primogenituræ prevalere; Ergo etiam in successionem remotiori agnatorum.* Ratio diversitatis vel ex eo patet, quod leges ferantur de frequentioribus, & de iis controversiis quæ tempore LLationis extiterunt: unde porrò consequitur reliquos casus expressè non decisos, ex Jure communi esse decidendos. Opponitur equidem, rationem, quæ moverit Imperatorem & Imperium ad introducendum novum hoc jus, fuisse, ut pax publica procureretur, & perpetuus dissensus circa successionem in Electoribus excluderetur: eundem igitur scopum in perpetuum non tantum inter nepotes, sed inter omnes Electorum posteros intentum intelligi. Verum enim verò nec ista consecutionis extensio firma est. Considerandum imprimis est, quæ fuerint tum temporis controversiæ circa successionem Electoralem? certè quum nondum jus primogenituræ & successio linealis agnatica introducta fuerit, quod certum est, & ab Engelbrechto quoque defensum; oppidò patet, non fuisse de ista successionis linealis specie controversiam, adeoque nec de eo, an lineæ potius prærogativa, vel gradus proximitas in successionem attendenda, imò ne quidem de ulteriorum agnatorum successionem quæri poterat, quippe qui casus tunc per naturam rei nondum existebat, & præterea jure communi satis erat definitus.

Obj. r.

R.

2.

R.

§. VI.

Casus &
Qu.

At verò controversiarum ratio in jure *repræsentationis* jam diu constiterat, & maximè in eò, an contra regulam juris Teutonici, quòd *proximior gradu sit successor*, admittenda sit exceptio Juris Romani de jure *repræsentationis*, & quatenus tandem? adeoque inter nepotes ex fratribus & patruos potissimum lis vertebatur, utrum illi jure *repræsentationis* hos, gradu proximiores, excludere possint? an potius ipsi à patruis excludendi sint? Et quanquam in LL. Longobardicis *lib. 2. t. 14. c. 18.* Regi Grimoaldo, *inhumanum & impium visum, ut pro tali causa exheredentur filij ab hereditate patris sui, pro eo quod pater eorum in sinu avi mortuus sit; sed ex omnibus equalem cum patruis in loco patris sui post mortem avi percipere portionem debeant*: Tamen inter Germanos adhuc acriter disceptatum imperante Ottone I. Imp. & quamvis Status in Comitibus mediam sententiam ex Jure Romano amplexi essent, non tamen prius quàm gladiatorio judicio, ut tum moris erat, cognitio veritatis comperta fuisset, decisio promulgata fuit, qua de re Witechindus *lib. 2. de reb. gest. Sax.* At neque sic quies, quum diversa ratio successorum in rebus allodialibus & juris Romani, diversa item in feudalibus, atque in his iterum alia in feudis individuis, in illustribus, in Electoralibus. Quamobrem nulla tunc lis orta fuerat de Agnatorum remotiorum successione ultimi ordinis, quippe quæ jure communi per gradus proximitatem, nullo *repræsentationis* jure interveniente, satis certi juris esset; sed de successione ordinis primi & secundi, & de admittendo jure *repræsentationis* contra gradus proximitatem, necne?

§. VII.

Decis.

Atque hanc demum controversiam decidere sibi LLator noster proposuerat, atque eam decisionem utique in primogenitis & reliquis filiis sive heredibus Electorum, perpetuis temporibus observari præcepit: at exinde non sustulisse jus hætenus non dubium nec controversum tertii ordinis, agnatorum remotiorum, dicendus est. Nec quicquam ad rem facit, quod A. B. in linea collateralis expressam faciat mentionem filii per veram LINEAM PATERNAM descendens. Neque enim posito hoc, necdum concessio, sequitur inde, Igitur potissimum

Obj.

R. I.

potissima consideratio est lineæ non gradus: non enim hîc textus loquitur de linearum specialium inter sese serie aut prærogativa, sed de *linea paterna sive paternali*, in textu vernaculo dicitur: *von Vätterlicher Geburt, von rechtem Vätterlichen Stamm.* h. e. ex stipite patris, primi acqñrentis; id quod in textu nostro feudali 2. F. 50. exprimitur per *descendentes è latere per masculos*. In Lege Salica *supra cap. 2. §. 7. allegata* dicuntur tales: *qui ex paterno genere veniunt*. In Lege Angliorum appellatur *paterna generatio*. contradistinguitur scilicet generationi maternæ & descendentibus per fœminas, vel ex genere materno, quæ etiam *linea materna* paternæ opposita vocatur. Carolus IV. Rex Franciæ de vita sua: *Eodem anno obiit Carolus Francorum Rex, relictâ uxore prægnante, quæ filiam peperit. Et cum de consuetudine regni filia non succedant, proelectus est Philippus filius soceri mei in Regem Franciæ, quia propinquior erat heres in LINEA masculina. Albertus Argentinus in Chronico: Cum Francia à nullo haberi dicatur in feudum, quamvis econtra nullus per FOEMININAM LINEAM successisse dicatur.*

Linea paternalis quid est

§. VIII.

Sed non necesse est ut intelligamus Auream Bullam, contra mentem & intentionem LLatoris, de ultimo ordine Agnatorum remotiorum, de quo tum nulla erat controversia. Et si cap. XXV. per verba: *Seniorem fratrem VEL CONSANGUINEUM*, istud suadere videatur, atque Engelbrechtus ita quoque interpretetur §. 132. ibi: *In A. B. vocatur sanè primogenitus: post eum secundogenitus aut (ordinem successivum denotat) alius senior frater vel (si nimirum ille deficiat) consanguineus proximior*. Idem tamen non extendit linearum prærogativam ac seriem ad ultimum, agnatorum, ordinem, sed hîc itidem nobiscum proximitatem gradus juxta jus commune agnoscit. At enim verior est Limnæi interpretatio ad A. B. c. VII. §. 2. Obs. XVII. quod A. B. tantum disponat de successione FILIORUM Electoris & horum prosapia, nihil verò exprimat de agnatis ceteris, vacante linea descendente, rationem subjicit, quod non solum, inquit, indicant verba INTER EORUNDem PRINCIPUM SECULARIUM ELECTORUM FILIOS, verùm etiam contextus ipse. in quibus verba, AD SENIOREM FRATREM LAICUM, interpretor de Seniore fratre patris primogeniti. addo, idem patere

R. 2.

Vel part.
determ.

patere ex d. cap. XXIV. etsi enim textus habet: *Senior frater vel consanguineus*. tamen non nisi de fratre, haud verò de agnato, intelligendum hoc esse, patet ex subsequentibus de fratribus reliquis & sororibus apannagio & dote prospiciendis. Itaque particula VEL hîc non est disjunctivæ, sed interpretativæ significationis, ut fratrem hîc tantum intelligamus consanguineum, non uterinum, sive ex linea paterna, non materna. Qualem significationem determinativam etiam alibi observare est, & observavit Zasius in *l. familia. 9. π. de jurisdic. ibi: cum plures servi injuriam fecerunt vel damnum dederunt.*

§. IX.

Bulla Sax.

Cum itaque in Aurea Bulla Caroli IV. de successione agnatorum, ut tertio ordine successorum, nihil sit dispositum, adeoque nec juris communis feudalis quicquam mutatum, consequens est, ut jus linearum in hoc successione genere non observandum sit, sed jus commune feudale & proximitas duntaxat *gradus*, cujuscunque tandem lineæ. Hæc quum quidem certi juris sint, satius tamen & ad superabundantem cautelam conducere duxit Serenissimus Elector Saxoniae & Dux Lunæburgensis, Wenceslaus, sibi suisque successoribus prospicere specialius, & ab eodem Carolo IV. Imp. impetrare Bullam singularem & declaratoriam de jure & successione Electorum Saxoniae, A. C. 1376. exhibitam à Goldasto T. I. *Constit. Imp.* in qua speciatim Wenceslao & successoribus confirmatur jus Electorale & Archimarschallatus Imperii, atque quoad successionem in eodem, tres isti ordines succedendi distinctius exprimuntur I. Descendentium scilicet primogeniti, II. fratrum aut patruorum, atque nominatenus Alberti, Wenceslai patris, Ducis Lunæburgensis, ac III. denique Agnatorum ulteriorum, de quibus ita §. 6. sancitum: *Quibus omnibus non extantibus, ad proximorem heredem, secundum lineam paternalem, duntaxat Laicum, Seniore Duce Saxoniae, pro tempore, ac ejus heredes secundum modum superius expressatum, in perpetuum legitime devolventur.* Quibus verbis nullum jus & prærogativa linearum amplius introductum cernitur, sed proximior heres defuncti vocatur ad successionem, ita tamen, ut jus feudale commune

mune requirit, nempe secundum lineam paternalem, h. e. proximus agnatus, exclusâ lineâ materna, sive cognatis: Deinde ut laicus sit successor, non clericus, & porro inter agnatos ejusdem gradus senior pro tempore mortis defuncti ultimi possessoris. Denique ut ab eo semel quæsitâ successio deinceps ad ejus heredes iterum secundum modum superius expressatum in perpetuum legitimè devolvantur, h. e. jure primogenituræ, quia hic agnatus quasi novus acquirens respectu descendendum & fratrum suorum consideratur. Neque enim sequitur, si succedit Agnatus secundum gradus proximitatem; ergo succedunt etiam ejus descendentes eodem modo. Ratio enim differentia hæc est; Agnatus succedit quâ talis, adeoque etiam in classe tertia consistens, ad quam se jus primogenituræ & lineale per hanc Bullam haud extendit: ad hujus successoris descendentes succedunt ut descendentes, adeoque in classe prima aut secunda, & ex Lege speciali, quâ in his classibus jus primogenituræ est introductum.

§. X.

Exemplum Saxonum sequutus fuit Ludovicus III. Elector Comes Palatinus ad Rhenum, cognomine Barbus & cæcus, qui similem & iisdem ferè verbis impetravit Bullam specialem à Sigismundo Imp. anno 1413. & renovatam anno 1434. quam Goldastus eodem Tomo Constitutionum Imperialium habet pag. 398. & de Agnatorum successione eadem formulâ res definita cernitur. Ex qua istud obiter observandum, quod *Præsenior* appellatur Rupertus I. Elector Palatinus, & ejus ex fratre nepos ac successor Rupertus II. Senior, h. e. avus Ludovici III. Barbatæ, Electoris Palatini, erat autem Rupertus I. frater Adolphi proavi Ludovici III. Electoris sive propatruus. Atque de hujus Ludovici successione ita ibi disponitur: ut mortuo eo ejusque descendentes, (quod contigit in Ottone Henrico Electore, anno 1559.) ad successionem vocetur senior frater Ludovici, qui fuit Joannes, Neoburgicus dictus, & post hujus obitum filius ejus primogenitus, qui fuit Christophorus, postea Rex Danorum, & sic deinceps descendentes Johannis fratris secundogeniti. *Quibus omnibus, ait textus, non extantibus, uti contigit Ottone Henrico mortuo, non Friderico tertio fratre Ludovici, nec Othoni, quartogenito, nec denique Stephano*

G

quin-

Bulla Palatina.

Præsenior.

quintogenito, quippe nec ipsis amplius extantibus, defertur successio Electoralis, aut horum lineis secundum harum seriem & genituram, sed simpliciter jam reditur AD PROXIMIOREM HEREDEM, qui tamen sit heres SECUNDUM LINEAM PATERNALEM, agnatus, non cognatus ex linea materna, nec clericus, sed *duntaxat ad Laicum*, & inter ejusdem gradus ad SENIOREM Comitem Palatinum, PRO TEMPORE, mortis scilicet ultimò defuncti. Itaque satis inde constat, quòd primogenitura ad fratres restricta sit, & quòd hi excludantur à primogeniti descendentes: omnibus autem & descendentes & fratribus quoque extinctis, non jure primogenituræ successio agnatis defertur, sed proximitate gradus, secundum veterem regulam.

§. XI.

• *obj.*

Quod enim præsupponitur à nonnullis, quòd in præsentia casu successione agnatorum tertii ordinis, ab initio in Aurea Bulla omnes filios primi acquirentis, & primogeniti fratres secundum ordinem genituræ fuisse specialiter à Lege vocatos ad successionem Electoralem, & omnes posteros haberi pro descendentes, respectu scilicet primi acquirentis, hoc nondum est comprobatum, multò minus concessum: Sed hoc quidem verum est, si fratres sunt superstites posteris primogeniti, quòd secundum ordinem genituræ succedere debeant, at omnibus his non amplius extantibus, casus successione agnatorum ulteriorum existit, & defertur jam his tutela secundum jus commune & proximitatem gradus. Id quod per deductionem ad absurdum & inconueniens non difficulter ostendi potest. Hoc siquidem verum atque utrinque concessum est, quòd neque fratres, multò minus agnati proximi succedant in feudis, nisi hæc sint paterna, sive nisi illi sint ex linea descendente primi acquirentis, 1. F. 1. §. 2. & 1. 14. §. fi. & tit. 20. 2. F. 12. & Rosenthal. *de Feud. cap. VII. concl. 58.* indubitata juris feudalis regulam esse, & in Camera Imperiali innumeris præjudiciis confirmatam testatur, itemque illustris Dn. de Eyben *Elect. F. Feud. cap. VII. §. 13.* Conf. Goldast. *l. 3. de Major. c. 27.* Præsupposito jam cum Engelbrechto, agnatos, qui in tertio ordine per Bullas superiores ad feuda Electoralia vocantur, non intelligi eos, qui ex descendentes primi acquirentis sunt,

Rz.

sunt, sed qui post lineam descendentium primi acquirentis extinctam supersunt adhuc in familia; sequitur hæc conclusio, Ergo agnati qui per Bullas superiores vocantur ad successionem non succedunt. Falsa itaque est ista hypothesis Engelbrechti, quam §. 130. & 134. ita proposuit, & τὸ πρῶτον ψεῦδος. totius hujus aliàs satis momentosæ controversiæ in ea sublitescit.

§. XII.

Exhinc porrò & ista æquè lubrica & Prudentibus antea incognita hypothesis corrui, duo Primogenituræ h.e. successionis linearis, fundamenta haberi, Naturam & Legem; atque Naturam prærogativam eo ipso indulgere primogenito, quod tempore prius nascatur, ut primum parentum robur, & à parentibus impensius amari solitum. Sed quid hoc ad rem? Nec temporis prioritas, nec parentum affectus jus facit excludendi à successione, primum verò robur ad reliquos fratres, multò minùs ad eorum lineas, quicquam conducit. Et quamvis jure gentium quoddam opimius jus primogenitis datum quandoque fuerit, nec universale tamen istud est, neque excludit reliquos fratres à successione, nisi fortè in Monarchica. Quemadmodum igitur in natura nullum fundamentum hîc est, ita nec Lex habet, quod hîc sequatur ductu, adeoque mera & nunquam probanda petitio principii est, jus reale radicum successionis omnibus & singulis lineis in infinitum conferri per Legem & A. B. sed fratribus quidem supersticibus hoc confertur, at remotiorum agnatorum lineis non item. Et quanquam Lampadius quoque *de Rep. Rom. Germ. P. 3. c. 4. §. 10.* has hypotheses amplexus fuit, notatus tamen jam tum est à Conringio, cui hîc magis amica fuit veritas, quàm amicus Plato. Accuratè enim contra arguit, quod ex parentum culpa amitti potest, id ipso nativitatis momento, proprio jure acquisitum, dici minimè posse, sed jus transmitti denique à morte paterna. Cæteroquin non est singulare jus, sed commune juris feudalis principium, quod Agnati proprio quidem jure succedunt, & beneficio primi acquirentis aut communis stipitis; adeoque potest dici, habere à primo nativitatis momento quemlibet agnatum jus & spem succedendi, sed jus remotum, & tandem non in jure primogenituræ fundatum,

quod nunquam in his solidè probatum fuit, sed secundum jus commune feudale & juxta proximitatem gradus. Sicut enim si quis agnatus in successione allodiali in jure repræsentationis gradu remotiori se vellet fundare, probatione deficeret: ita idem contingeret de jure primogenituræ in feudis.

§. XIII.

Agnovit hunc nodum Serenissima domus Palatina in Partibus Heidelbergensibus, uti vocantur, anno 1553. inter Fridericum II. Electorem, Ottonem Henricum, Johannem & Wolfgangum Duces & Comites Palatinos Rheni initis, de successione in casibus futuris, atque eum casum, si quæstio orta fuerit inter Friderici, Ducis Simmerensis abnepotem, & alterius fratris Ludovici Veldentini pronepotes, Wolfgangum & Georgium Johannem, non decisum per introductionem juris primogenituræ crediderunt, sed reservarunt decisioni Imperiali: quæ quum hodie idem casus extiterit, adhuc desideratur, maximè quum etiam Instrumentum Pacis *Art. IV. §. 10.* pacta illa Heidelbergensia ita confirmaverit, ut totius Lineæ Rudolphinæ *jura salva rataq; maneant.* Et si qua exspectativæ confirmatio fortè etiam impetrata fuerit, talis tamen confirmatio agnatis non præjudicium facit de jure, ut optimè docet Matthæus de Afflictis *ad cap. quemadm. feud. ad filiam n. 3.* Denique etsi jus primogenituræ ad conservationem familiarum illustrium facit: favor tamen ejus non est tantus, ut impediatur strictam interpretationem, *Tiraqu. de Jur. primog. q. 16, 10.* Rosenth. *de Feud. c. 7. n. 5.* Unde quum in Comitibus Ratisbon. anno 1653. Dux Saxonie Altenburgicus, Marchiones Brandenburgenses, Duces Brunswicenses, Landgravii Hassiæ, Duces Holsatiæ à Collegio Electorali conjunctim postularent, ut pro introductione juris primogenituræ in omnibus domibus illustribus constitutio Imperii conderetur & Capitulationi Cæsareæ nominatim infereretur, repulsam per majora tulerunt, eò quòd aliis domibus illustribus & iis quorum interesset, præjudicari non possit, sed si quis ea de re controversiam moturus esset, in Comitibus eam proponere deberet, ut alteram partem desuper audire integrum esset.

SOLI DEO GLORIA.


Kg 954 ¹⁴ $\frac{R}{7}$


ULB Halle 3
006 691 803



WDA







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

HILTERI

mentatio

ad
SECUNDI
TUDINUM
DORUM

INQUAGESIMUM

DE
TURA
SSIONIS
DALIS.

in qua
SUCCESSIONIS origo,
Germanico succinctè
ponitur.



NTORATI,
RIDERICUS SPOOR.

27

1728

